Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Franciscus Deius

ORATIO:|| FVNEBRIS, IN CALAMI=||tosam, Clarissimi, et Eruditissimi uiri Domini Io=||achimi Gryphsuualdij I.V. Licentiati peri=||tissimi, in celebri Academia Rosto=||chiana, sacrarum legum Pro=||feßoris, mortem:|| habita || A ||[Francisco] Deio Osnaburgense ... || Rostochij Die || 24. Ianuarij.||

Rostock: Dietz, Ludwig, 1559

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn178605406X

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Dejus, F.

in J. Gryphswaldium.

Rostock (L. Dietz) 1559.

LB FP Grypswald, Joachim 1559

Universitäts Bibliothek Rostock

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn178605406X/phys_0001


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn178605406X/phys_0003

36

ORATIO

FVNEBRIS, IN CALAMI-

tosam, Clarissimi, & Eruditissimi uiri Domini Ioachimi Gryphsuualdij I. V. Licentiati peritissimi, in celebri Academia Rostochiana, sacrarum legum Professoris, mortem:

habita

A

Deio Osnaburgense, in Collegio peritorum, Rostochij Die 24. Ianuarij.

UNIVERSITÄTS- U. LANDESBIBLIOTHEK MECKLENBURG

ROSTOCHII.

Ludouicus Ditius Calcographus excudebat.

ANNO M. D. LIX.

Ornatissimo Iuueni, eruditione & virtute praeclaro. D. Theodoro Gemelb: patricio Lüneburgensi dd. V. amicitiæ ergo

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn178605406X/phys_0005

Boet:

Mors hominum felix, quæ se non dulcibus annis
Inserit, & mæstis sepe uocata uenit.



m.

Heu, heu, quam surda miseris auertitur aure,
Et flentes oculos claudere sæua negat.

AD BONARVM ARtium Studiosos.

VT adhuc (quod fateor) rudis, & inermis, nec me feliciorem natura dedit esse, siquidem sum mea paruula sorte contentus, ita me ante pilos prodire citius agnosco, quam quis poterit (nec immerito) reprehendere. Temeritas enim Iuuenilis, quæ ferè implumis uolare nititur, uanæ turgida gloriæ cupiditate, carptionibus plerumq; sollicitis & amaris, ut sese intra sua septa contineat, nec pudoris metas transiliat, refrenanda est. Stultum prorsus est, præter ætatem uelle sapere, & annosas, niuentesq; barbas prudentia superare, qui[illegible]s ad maximam reuerentiam sese inflectere, collum subducere, & ueni[illegible]ti Seni aßurgere honestum Iuuenem decet: Sub cuius nominis umbra, [illegible]tiam geruntur rectius, quam si nouæ incognitæq; personæ, in magno rerum discrimine committerentur. Nam in Sene uigor deuotionis & fidei, etiam corpore grauescente, non deficit: sed uergente deorsum conditione corporea, [illegible]ruor, & spiritus, in sublime conscendit. Vnde hoc canonica regula consultißime [illegible]tum, ac constitutum nemo negabit. a Quia nihil incertius sit adolescentum uita: ut impuberes, & adolescentes Cle[illegible]naneant, ne lubricæ ætatis annos in luxuria, sed in [illegible]ticis disciplinis agant, deputati probatißimo Seniori, quem do[illegible]næ Magistrum, & testem uitæ habeant. Quæ laudabilis sanctaq; [illegible]uetudo, ubiq; adhuc pe[illegible] bene constitutas Vniuersitates uigorem suum [illegible]et. Nec immerito: Decet enim honestum probumq; adolescentem, uel naturæ uerecundia suadente, maiores uenerari atq; uereri, qua ratione Iuueniles melius coarctantur calores, dum cupidini prohibentur esse dediti, ne tristem post facta sentiant exitum. b Ob id in urbe Romana, totius tunc orbis dominatrice, ueneranda semper senectus fuit. Namq; (inquit Calistratus) Maiores nostri, pene eundem honorem senibus, quem Magistratibus tribuebant. Istis uero prægnantißimis rationibus motus, quicquam Maioribus & Senioribus, quibus hæc mea nimis forsan futilia, perlegenda

a c. omnis ætas. 12. q. 1.

b l. cum non solum. §. Ipsum autem filium. c. de bon. quæ lib.

perlegenda data fuerint offerre timui, imo prorsus erubui. Nihilominus, ut hæc qualiscunq; nostra oratio (si modo hoc nomine digna) aliquando commendatior ac paulo locupletior fieret, minusq; nuda ieiunaq; prodiret, nec non studiosis Iuuenibus (quorum causa potissimum editam uelim, quod non minori teneantur amissi Præceptoris amore) & gratior, & desiderabilior esset, atq; maiori lectitaretur auiditate, quando, cupidine tracti, perempti Magistri charissimam memoriam, recentare, atq; adeo amplecti uelint: Ideo quatuor obiectis respondere statui, argumenta quæ maxime resistere putem, refellendo. Quorum primum est.

I.

Quod super funere defuncti, lugendum neq; flebiliter declamandum fuisset, ob irrefutabilem Apostoli sententiam. 1. Thess: 4.

II.

Quod ineuitabile fatum, illi præscripto termino, irrecusabiliter parendum fuerit. Iuxta illud. Constituisti terminos eius qui præteriri non poterunt. Iob 14.

III.

Quod ei imputandum sit, qui seruum nequa. associauerit, atq; sibi soli commiserit.

IIII.

Quod solitus fuerit pergræcari, nocturnis temporibus grassari, uino suo nimium indulgendo: Nec insolitum nec rarum esse, quamcu uiuendi rationem exitus sortiri consimiles.

Duo priora, facile sentiebam exanguem meam uenulam grauissimo suo pondere, me sustinere non potuisse. Apostolicæ enim contradicere sententiæ, quis audebit? cum qua multi canones consentiunt. Fatalem opinionem, quæ per tot secula robur sumpsit, & inualuit infirmare, tam mihi possibile quam musculo parturire montem. Sed si neutrum subuenero, funebris hæc oratio non poterit subsistere. Quid dicam de tertio? quod & ipsum operosas quasdam quæstiones complectitur. Volu-

minis ani-

minis animaduerto negocia, potius quam breuis orationis argumentum. Tametsi, quartum, per se, uerum non est, tamen, nemine refellente, uerum credi posset. In his quid facerem diutius animi pependi, quam quis credat. Nam, non ita multos annos generalibus studijs operam nauaui, & iactare me, quod uel etiam non sum, uel me intelligere non sinit temporis angustia, atq; adeo ætas ipsa, id quasi scire me fingam, maxima mihi religio fuit. Hoc ipsum igitur supra, stultum & temerarium prorsus iudicaui: Postquam in arrogantiam, quæ est ruina diaboli incidant, qui uix dum b Discipuli, in horæ puncto Magistri nomine salutari gestiunt c, quos prius discere conuenit, quod postea maturiores doceant. Hæc sepe pedem referre iusserunt, deferereq; ratem. Fecit & illud Hieronimi nonnihil territum, licet in alio sensu ad Luciliam, dum uixit: Cœpisse multorum est, ad culmen peruenisse paucorum. Sed quia iure nostro monemur, qui principia posuerunt, quod & totum complere teneantur d: Ne dicerer in medio cursu hæsisse, charitatis erga Præceptorem officia oblitus, aut eius temeritatis, quam in Iuuene reprehendendam existimaui, arguerer, uastam molem subire tentaui, quibus potui melioribus modis accinxi me, memor muris apolegetici, qui sensim dentibus suis funes corrosit, quibus uinctus Rex cunctorum animalium, horridus, rugiensq; Leo detinebatur, qui paruulæ bestiolæ beneficio adiutus, pristinæ liberati restitutus est. Ast ego si fortißma predicta duo obiecta penitus non diluero, (spero tamen me aliquo modo si non infringere saltem immiuere posse) tota hæc oratio concidet. In hac re, quam ipse nequiui percipere, me doctis uiris præbere, & me eorum authoritati subijcere, non pudebat e. Nam in scholis fuisse laudabile non est, sed ibidem laudabiliter esse uersatum, se Magistris humilem discipulum præbuisse, ignorantiam non dißimulasse, quæ nescieris didicisse, Maiores, & doctiores in grauioribus quæstionibus interrogasse, reddita responsa, fideliter intellecta retinuisse, moribus succeßiue melioribus assueuisse, deinde in uirum grauem prudentemq; adoleuisse, hoc est quod hominem commendat. f Qua etiam ratione testatum facimus, nos, cum sœnore, scholas frequentasse, æternum nomen, honestamq; famam, & quicquid preterea, in tali ho-

b c.1.dist.48.

c c.Non negamus.dist.61 cum c. seq. & c. mirabitur. d. distinc. 61.

d In auth: de litig. §. omnem. col. 8. De Conf: dist:1.c.nullus Episcopus.

e Dist. 59.c. ordinatos 37. D.relatum.

f 12.q.2.Glo. in Epiſcopi

tali homine unquam desiderari poterit nobis comparasse. Igitur quod charitas urgebat, (cuius officio primo loco, illis obnoxij tenemur à quibus nos beneficium accepisse cognoscimus g) ad quod institit pietas (quæ omnis boni operis Mater est h) hoc mihi peragendum, & absoluendum fuit. Quapropter optime lector, pro tuo candore te rogo, ne uel offendi, aut ad æmulationem prouocari, si me in quauis orationis parte uel uerbo halluci natum esse, uel præter latini sermonis phrasim, & elegantiam (quod tuas doctas aures posset offendere) aliquid dixisse compereris, sed ante omnia urgenti charitati (quæ pecare nescit) & instanti pietati, (quam omnes uenerari tenemur) ascribere uelis. Vale feliciter, & maiora tentare non desinas, sed nisi (præcipiente Fabio) pro facultate.

g c. cum in officijs. ex. de test.

h 22. q. 2. si quælibet, et l. 1. ff. de suspect. tut. §. consequens.

REVE-

REVERENDISSIMO & AMplissimo Præsuli ac Domino, Domino Iohanni: in Episcopum Osnaburganum postulato, & Confirmato: ex illustri familia, Comitum ab Hoya, Comiti, ingenio, eruditione, & rara prudentia perexcellenti: Domino suo gratiosissimo:

REuerendíssime & Amplíssime Præsul, Príceps ac Domine gratiosíssime, nulla mea obsequia, nullus famulatus, nec ulla ministeria sunt, quę uel huius, uel alicuius respectus, (ut horum quícquam, Reuerendíssimæ Amplitudini, & Gratiæ tuæ, perhumilis ausim præmittere) exístunt: quia tantillum uereor esse, ut nullam, erga me propensionem gratiosam mereatur: Profecto, si quem locum exístimamus promptitudini, & menti, sese Principi suo humíliter subíjcienti, forsan, non omnino respuendus uenio, non, ut homo nimium sibi confidens, & sese mirum in modum iactans, qui, cum propter singulares uírtutes, & merita, tum propter solidam eruditionem, laudem sibi polliceatur, sed infantiam, & iuuenile stud̃ium agnoscens: quo fit, ut de celebri studiorum meorum profectu, aut, ingeníj dexteritate gloriari, nec possim, nec debeam: Tum quoq; imberdis ætas, me sibi maiora uendicantem, refelleret. Et, si quíspiam, alíjs, se posse uelamentum eruditionis obducere putauerit, certe ne id, apud R. A. & G. T. tentet, suadeo, moneoq;: cum tanto nunc inter cæteros, eruditíssimos quoscuius-

cuiuscunq; ſtatus συνχρονους, & coæquales R. A. & G. T. excelſo ingenio, admiranda rerum cognitione ita coruſcet, ut nemini aut eruditione, aut pietate, aut grauitate, aut rara prudentia (quæ primum ſibi in bono Principe locum uendicant), ſit facile ſecunda. Rerum certe experientia, licet non ita ſpacioſo temporis curriculo, ac intercapedine, minima tamen non acceſsit. Quanta fulgeat ſapientia, quamque uariis ſuperemineat dotibus, multorum præclariſſimorum uirorum ſententiæ, ſatis ſuperq; atteſtantur, Quorum calculo, & ſuffragijs, quod approbatum eſt, laudabile eſſe oportet, cui ſummus ille Philoſophorum coryphæus (quem Quintilianus, an rerum ſcientia, an operum uarietate, an inuentionum acumine, an dicendi ſuauitate clariorem putet, dubitat) aſtipulatur, inquiens: Optimè ageretur cum genere humano, ſi ſoli artifices de opere iudicarent. Etſi autem colloquijs, quæ R. A. & G. T. cum uiris cyclicè doctis, qui plurimo rerum uſu pollent, & totum ferè ſcientiarum orbem, animo complexi ſunt, habere conſueuit, & etiamnum, quoties occaſio uel uocandi datur, uel aditus non intercluditur, ſuauiſsime miſcet, non interfuerim: Tamen, ſæpius ubi ſermones habiti, uel in menſa, uel aliàs repeterentur, ac commendarentur, dumq; illa extremis laudibus, quæ etiam longe lateq; pulcherrima fama ſunt diuulgata, ueherentur, adfui. Quare pudet R. A. & G. T. quicquam à me excogitatum, quaſi lectu dignum uideri poſſet, prodere, qui præmanſis adhuc ueſcor, & quaſi lallans in cunis uagio, cuius os ad lac eruditionis hiat. Abſit eò magis, ut ego puſillus in R. A. & G. T. laudes prædicandas, in uirtutes dotesq; ua-

tesq; uarias, & sublimes efferendas, & enumerandas descendere tentem, & quasi ex puluere in aciem prosiliam. Quam tenax R. A. & G. T. ferèq; stupenda memoria, quam facunda lingua, & quodam eloquentiæ flumine, quanta rerum uerborumq; selectorum copia, quanta optimorum, & uariorum autorum, lectione: & in ijs fundatissimorum consiliorum obseruatione, abundet: & ut his omnibus & singulis, in tempore, debito modo, & ratione, p personarum conditione, item, causarum exigentia uti nouerit, (quod est in principe lucidissima gemma, longèq; pulcherrimũ munus) illud omne suis meritis, uiuis coloribus, & dicẽdi neruis, (ut par esset) extollere atq; depingere, humanã uocem, nedum meam infantiam longè exuperat: Hanc meam tenuitatem, cum penitiori mentis indagine perspexissem, quàmq; mihi sit curta suppellex, cum ad uiuum discussissem, relicta puppi, abiectis remis, discissis carbasis, rapido non ausus sum, me credere ponto. Sed ex aduerso Gratiosissime, & Reuerendissime Princeps, ac Domine, non est interim R. A. & G. T. ignotus mihi innatus animi candor, mentis syncerita, & præcipua uirtus humanitas, de qua Imperator noster Iustinianus in iure, sic ait: Nihil aliud tam peculiare est Imperali Maiestati, quam Humanitas, per quam solam, Dei seruatur imitatio *a*. Quam sibi Imperator soli propriam non deputat, sed omnibus Principibus, authoritate sua gubernantibus, communem ob oculos ponit, accuratèq; singulis obseruandam ostendit. Hanc certatim colere, &, in huius exercitio præpollere, cunctis insuper hominibus, sibi summæ gloriæ ascribere docet. Itaq; hac humanitate, qua erga multos

a. C. *de donat. int. uir. & uxo. l. fin. qua adhuc pulchrior ẽ l. Imperalis beneuolẽtiæ c. de nupt.*

multos, cum doctos, tum bonos uiros R. A. & G. T. claruit, ita ut uel ob eam ubiq; in ore bonorum uirorum uersetur, animatus, omnem mihi ipse scrupulum extorsi, & huic exiguo labori, satis tamen exile ingenium attenuanti, manum sum admolitus. Hæc (inquam) animum reddidit, pudorem repulit, & me non magna ambientem incitauit: hæc autrix est, ut iam postposita formidine, quiddam non dubitem licet manu tremula producere.

Vsus sum Præceptore, Iuris, & studiorum meorum Antistite, quem non ita pridem sceleratissimus famulus turpissimè necauit, cuius charam memoriam, ne citius obliteraretur, oratiuncula reuiuificandam ac illustrandam iustum fore arbitratus sum, ut licet á nobis auulsus, & nefaria cæde abstractus sit, animus sese ex corporis compage relaxauerit, ac in cœlestem Ciuitatem, unde ortum, & principium duxerat, remigrarit: Tamen, honestissimum nomen, clara uirtus, auita pietas, ac ingenij præstans decus, cum Morte ipsa nequaquam concideret, sed posteris per manus quasi traderetur. Ad funus totam fere noctem, amore Magistri inflammatus, cum excubias egissem, hanc ultimam animi gratitudinem, fidelissimo Præceptori referendam esse censui: subito quædam hinc inde congessi. Factum non multis inuolutum erat circumstantijs: tribus expediri uerbis potuit: Perfidus necauit dominum. Enimuero inconsultus Iuuenis, periculum potius, si quid mihi ingenij (quod sentio quam sit exiguum) fuerit, faciendum, quam optimum Præceptorem tam repentinæ obliuioni submergi paterer, credidi, maluiq;

maluiq; me hac oratione (quibusdam forsan ridicula) multis ultro deludendum, & cachinnandum propinare, quam pietatis iura negligere, Præceptorem perpetua memoria defraudare, quam non gratus existere. Adeo in me pietatis affectus erga Præceptorem exarsit, adeo mentis oculos obcœcauit, ut quanta forent subeunda scommata, quot ronchi, quantæ obloquutiones minime pensarem, & mirum si non hic quispiam maligni Spiritus homo, furiarumq; œstro percitus pasquillabitur, meq; succo loliginis sugillabit. Quæ cuncta simul expectanda, & deuoranda potius existimaui, quam in hac re mihi morem non gessissem. Quibus ergo non obstantibus, imo fastitidis habitam oratiunculam ad limam reuocaui, quæ dudum pronunciaueram recoxi, ac ruminatus sum, quæ superflua uidebantur resecûi, quæ deficere attexui, quæ obscura persensi, ac illustraui: Sane eò semper uelis, remisq; contendi, ut ipsa qualiscumq; oratio, quàm politissime prodiret in publicum. Sed cum mei ingenij uires magis sentirem deficere, aliã uiam ingressus sum, quo melius certiusq; eo quo tendo peruenire, laboresq; perferre possem: Atq; nonnullis doctissimis uiris nominis Gryphsuualdij studiosissimis, libellum legendum, perspiciendum, ac dijudicandum porrexi: eosq; ut propter tanti, communis amici, & digni Iurisconsulti flebilem casum, huic scripto extremam manum apponere, à me parum recte disposita, in iustum ordinem redigere, dignarentur, manca, ἀπεφαλα, & hiulca sana reddere, ac consolidare, aut supplementa indicare, haud grauarentur, sollicitaui. Quo facto, redditus est mihi libellus hortatu maximo, ne hos labores suffocarem, & sua-

uissimi Præceptoris gratissimã memoriam finerem in me mori, & concidere. Quod cum decreuissem (facilis est enim ad hoc exhortatio, quo fert intus conceptus feruor, quoue spontanea uoluntas) proximum fuit, ut, cui tantillus labor potissimum inscriberetur, meditarer. Omnium primum R. A. & G. T. (quæ etiam ita me Dij bene ament in somnijs obuersabatur, summo splendore uisa) occurrebat, ut nihil amplius hæsitans, hanc ipsam oratiunculam R. A. & G. T. nuncuparem. Quare hanc meam festinatam sementem, primitias, & ueluti abortum, debita cum reuerentia, & humilitate, R. A. & G. T. offero, dico, & consecro, ut prompti, & grati animi erga R. A. & G. T. aliquod testimonium extet: & spero hanc ieiunos meos labores, & thesaurum nequaquam Principe dignum, non secus accepturam, quam si tripodas, atq; lebetes illos homericos missitassem, Dummodo summus rerum opifex, humani generis architectus, & uitæ reparator, ad æra minutula duo, magis quam ad magna munera ferẽtes respexerit. Mulier enim illa totum, cæteri, de toto pauxillum offerebant. Quamuis autem id respectiue maius esset, Tamen, Christus hoc exemplo magis donãtis animũ, quam rem donatam ponderandam esse declarauit. Quia bonitatis nulla potest actio sancta, iusta, & religiosa dici, quæ non ex pietatis uberrima scaturigine promanet. Itaq;, quod à me Reuereudissime Princeps, G. T. oblatum est, nolo æstimetur secundum pretium, sed compensetur cum affectu, cumq; charitatis, & pietatis amore: quo pacto mihi maior obedientiæ & officij laus, quam ingenij, & eloquentiæ, quæ in me nulla est, tribui possit. Quod reliquum est, R. A. & G. T. ro-

G. T. rogo, ut in ſuæ defenſionis, & tutelæ patrocinium, hæc quantulacumq; ingenioli præludia ſuſcipiat, & á uirulentis maleuolorum morſibus, qui propia magnipendunt, aliena uellicant, & ad honeſtas operas ſubringunt, uindicare dignetur. Oro æternum patrem domini uoſtri Ieſu Chriſti, ut R. A. & G. T. per tot preſentis ſeculi rerum omnium anfractus, turbines, & procellas, ducat, protegat, & defendat, conſiliaq; ut Rebuſpub: & ſcholis (quæ ſunt ſeminaria Eccleſiæ) ſalutaria ſunt gubernet, nosq; omnes de filij unguenti ſcapulis pendentes, ac ſub umbraculo quaſi latitantes, ab inſidijs tueatur, faciatq; nos domicilia Spiritus ſancti: Amen.

R. A. & G. T.

humilis Cliens

Franciſcus Deius.

ORATIO FVNEBRIS, IN calamitosam, Clarissimi, & Eruditissimi uiri Domini Ioachimi Gryphsuualdij, I. V. Licentiati peritissimi, mortem.

QVamquam uiri Ornatissimi, & undequaq; doctissimi, uosq; studiosi Iuuenes, qui mecum in hoc stadio literarum pro brauio consequendæ peritiæ certatis, & concurritis, Diuus Apostolus Paulus euangelica tuba dicat, non esse tristandum ob illos qui moriuntur, & in Christo Iesu domino nostro feliciter obdormiunt: Idq; uerum neutiq; diffiteri possim: Tamen, ut meæ mentis est fragilitas, alios nescio, ingentem concepi dolorem, & nunc ab oculis meis non remotæ sunt amarissimæ lachrymæ, procul, ob luctuosam modis omnibus doctissimi Præceptoris Ioachimi Gryphsuualdij, I. V. Licentiati celeberrimi mortem, cuius funus heri sepulturæ condignæ, magna Reuerendorum, Clarissimorum, atq; omnifariam doctorum uirorum frequentia, & multiplici studiosorum choro, nec non honestissimorum Ciuium, Matronarumq; numerosa caterua concomitante, est commendatum. Hic mihi sentiens occasionem datam, quanto erga nunc defunctum, dum superesset adhuc, & ætherea uescerétur aura flagrarem amore ostendendi: audaciam ut uereor præsumptuosius æquo sumpsi, funebri qualicunq; cadauer uenerabile declamatiuncula decorare, & indelebili memoria, immortale quasi reddere, ad quod alios quoq; uirtute, & cru-

& eruditione prædaros sollicitaui, ut uel carminibus, uel prosa mihi adiutores esse dignarentur. Prohibet me quidem pudor, qui uixdum dici merito possim, infantiam deposuisse, & Iuris limina nondum, uel primoribus labris, tetigisse, & degustasse, quo fit ut iuuenile studium, imo eruditio exigua, quæ aut nulla est, uestris prudentissimis auribus respondere nequeat: At, Præceptoris mei intimus ardensq; compellit affectus, hic excusabilem committere temeritatem, quæ est, quod nunc instituo, quod rudiusculo stylo, rudis adhuc tento eius laudes & ingentem fortunæ suæ querelam perstringere, mutationem miserrimam uobis auscultantibus proponere, funebriterq; uobis egregijs, & eximijs uiris præsentibus, licet eius laudes alioquin immensæ sint, & à me satis aperiri nequeant, orare. Nam cum ad hanc personam gerendam, beatissima rerum uerborumq; copia, uenustas orationis, uerborum ornatus, & elegantia, doctrina excellens, styli item grauitas, exercitatio deniq;, mutuo concurrant, & plane sciam me omnib⁹ his uacare, ingenueq; fatear, me neutiquam uel in minimo pro re tanta munitum, conatum quoq; hunc, si quid ingenioli mihi supereſt, eiusdem uires excedere agnoscam: Tamen, uester qui ualde syncerus est animi candor, tum cor, non ad aliud pronius quam ea, quæ pietatis affectu stimulante bono zælo fiunt in æquiorem interpretari partem, tum in iudicando dexteritas, ut à ceptis non desisterem pepulerunt, curam, mentisq; tenebras absterserunt. Deposuissem sanè onus, quod sic instigatus non sponte, subiui: Nũc alacrior paulo factus, pudore remisso, balbutie, & ignorantia non attentis, exordiar ab eo, quod diu & uehementissime iactatum audio, quale est:

Nec

Nec Dijs, nec parentibus, nec Magistris, redditur æquiualens unquam. Quis, Deo creatori suo: qui corpus humanũ dedit, uitam inspirauit, animum cœlestem in terram demersit, ac cum corporea mole, diuino consilio compegit, coagmentauitq́, uniuersum terrarum orbem nobis subiecit, uarijsq́ donis ditauit, condignas unquam retulit grates? Quis utriq́ parenti? Mater, quæ prolem enixa est, & summis laboribus, doloribus, & uitæ periculo, taceo reliqua materna erga natos officia, quanta sit reuerentia, quanta remuneratione, & pietate digna, nunc referendi locus non est: Magistro, sensus animumq́ moderanti, mentem eruditione, & melioribus moribus imbuenti, quis pari studio, & beneuolentia potest satisfacere? Et quod bonorum sit discipulorum, Præceptores suos colere, illosq́ feruenti humanitate circumplecti, cum passim demonstrant, per naturales Philosophi rationes, tum etiam hoc exigit Iuris digna professio, ad quod soliti sunt allegare, L. Professio. C. de muneribus patrim: lib: 10. & L. Dicere. de arbit: & l. semper, de iurisd: omnium Iud. una cum l. apud Iulianum, de fidei commiss: hered: Quo pulchre satis, facit. l. Attilius Regulus, de donat. ibi maxime: Quoniam, & cum patre meo semper fuisti, & me eloquentia, & diligentia tua meliorem feciſti, &c. Dono, &c. Nec præterit hoc iustum, æquumq́ præceptum nostri seculi, Iureconsultorum Lucerna Dominus Zasius, ff. de orig. iur. Vers. plurimum à suis auditoribus, à quo quis non abhorret facile.

Nos autem, adhuc prope littora remos tentantes, ac uelificantes inuaserat metus, ratem altius ducendi, nobis à naufragio timentes: cum ad portum intermissorum

forum studiorum, iam satis uentorum ludibrio expositi recurrere desideraremus, hic nobis tuta halcyonia concessit, labores continuauit, & in id semper incubuit, ut Iuris alumnos, ad cultum, & uberiorem discendi fructum proueheret, fecitq; nos passu stare tenaci. Etsi quoq; aliorum clarissimorum Virorum lectionibus foueamur, Tamen, quia tot fere aulicis negociorum anfractibus adobruuntur debitas functiones subire, & in Musarum palæstra uersari non possunt. Me quidem adhuc in primis uersantem initijs, & quasi in cunabulis lallantem, ad ualidiorem cibum roborare nullus unquam destitit, pręmansum in os inserere non piguit. Non parum laudis, in omni ædificio meretur primus institutor, & fundamenti positor. Sicut hic noster, non uiles in nobis inter cæteros lapides, ab alta cathedra demisit. Ego, ut omnium postremus, & inter minimos infimus, disciplinis legalibus incitatus, & proprij stimulatus affectus aculeis, in hanc, ornatissimorum doctissimorumq; uirorum frequentiam prosilire, non abhorrui, & hanc funestam proclamationem, coram uobis uiris præstantissimis proferre, non erubui. Ratione forsan premor maiore: Lectionibus eius una cum reliquis interfui, decq; magnis plerumq; rebus acute differentem audiui, utinam eorum nihil intermisissem unquam. Oscitantiam & negligentiam meam, dempto charissimo nostro Præceptore, nunc primum conqueror, quam uiuo, studio ardẽtiore, summa diligentia, summoq; labore, (Deo feliciter iuuante) recuperarare meditabar. Pares habui reliquos Iuris candidatos, in exercitio, & iuris auditione: Tamen, quotidiano conuictu, & conuersatione eius præ cæteris gauisus sum, quod mihi non mediocri commodo

 ascribo.

ascribo. Nam hac ratione me non modicum luminis Iurisprudentiæ consequutum, (nisi quid me fallat) arbitror. Sic est, quod ante alios me pungat acrius, & meam temeritatē defendat, extenuetq; magis. Enimuero, & si nihil laude dignum, forsan á me gestum uere existimari poterit, non ægre fero: Conatum tamen hunc, licet inconsultum, inhonestum spero nullus dijudicabit. Et plane confido Magnificum Dominum Rectorem, M. Bernhardum Mensingerum, cæterosque dominos, præclara, & fulgidissima nostræ scholæ lumina, uoluntatem meam hanc, licet forsan non ita probabilem, benignè placideq; accepturos. Nam ut desint uires, tamen est laudanda uoluntas. Quare si quid minus concinne, terse, minusq; apposite, quod sit indignum uestris prudentissimis auribus, dixerim, idipsum dextre (ut moris est) uos interpretaturos non dubito. In alijs, quos iam longus usus perpoliuit, & causis perorandis fecit assuetos, phrasin requirite gracilem, tersum, nitidumq; sermonem, dictionis elegantiam, uerborum perspicuitatem, & quicquid, ars facundiæ præterea præcipit (inquam) requirite. Quorum omnium ego rudis tyrunculus præstare nihil possum, qui uobis optimis uiris, nudum, solumq; erga defunctum nostrum Iuris candidatorum decus, & præsidium, affectum offero dijudicandum. At uos mei charissimi commilitones satis habete, quod uobis, & uniuerso studiosorum gregi præbuerim colendi Præceptoris memorabile exemplum. Ita Præfatus, ac protestatus, propositum cordatior argumentum ingredior, me uero ut placide, & benigne audiatis, uestræ est humanitatis & beneuolentiæ.

Non esse lugendos mortuos, obdormientes in Christo

Christo, doctrina Prophetica, & Apostolica satis superq; declarat: Ex quo poterit inferri, quod ob eos, ne tristandum quidem sit, neq; lugubriter incedendum, eo non obstante, quod à tot seculis hunc morem seruauerit Ecclesia. At mihi licet minimi iudicij, & rerum ignaro Iuueni, Apostolica disciplina, quiddam quidem uidetur præcipere impossibile. Quis enim tantæ uir constantiæ, & animi fortitudinis, nisi hercle ferreo, & adamantino corde obduratus fuerit, ut, nihil in eo humanitatis, & beneuolentiæ reliquum sit, qui affectuum suorum sit firmus moderator, ut eos in quacunq; quarumcumq; cladium tempestate sic comprimat, ut nihil quicquam præcipue ob tam terribile, & immane factum, mortemq; miserrimam, de qua dicturus sum, moueatur? De me dicam, (quod mihi tutissimum, nec aliorum refert quale illud sit, cum non alios sed me ipsum dijudicem) me ingentibus doloribus, quibus natura resistere non patitur, urgeri, & ad mœrorem hūc nouum animum obdurescere. Et qui in tam acerbo casu, tanto bonorum uirorum luctu, tam exulceratissimo hoc tempore, ægritudinum stimulis nequicquam concitaretur, hunc hominem esse pernegarem. Sed, non dubito, omnes generosos honestosq; adolescentes, quibus omnino crudele scelus displicet, hanc sententiam mecum, & uelle, & posse tueri, ac similibus ex animo doloribus affici, ob tantam, tanti præceptoris amissi iacturam, cuius mihi hærent infixi pectore uultus, uerbaq;: nec placidam dat membris cura quietem. Inobliuiosus mihi manebit, & iuste. Nam cum miram animi eius gratitudinem, beneuolentiam erga exteros, pietatem erga Deum, ingenijq; alacritatem recordor, facere non possum, quin tam ineluctabile, et crudelissimum

mum factum cum ingenti dolore, ac trepidatione deplorem. Quum suas diligentissimas institutiones, acutum ingenium, & salutaria in tradendo præcepta, laboribus non postponendis, animum, & inclinationem, in promouendis, urgendis, incitandisq; Tyronibus, nunc primum profundius meditor, non possum, non contristari. Hunc pium fletum, hosq; animorum dolores iustissimos, dominum nostrum Iesum Christum mundi saluatorem, nullo modo offendere existimo: Cuius exemplar, quod in uerbo expresit rite imitamur. Itaq; propitior nobis ille erit, quem, ob mortem Lazari diuinas una cum utraq; sorore Magdalena, & Martha, lachrymas misisse atq; fudisse constat: Quod communi populo non aliud indiciū fuit, quam summi erga Lazarum amoris. Non legimus, quod sororcularum reprehenderit fletum, sed quod confleuerit, quod contristatus sit, simul & ingemuerit, exemplum deniq; omnibus fidelibus prę̄stiterit semper imitabile, quod & naturæ uisceribus inhæret, & ab hac haudquaq; est alienum, homini harmoniace compositio: Præterq; apud Canibalos, qui dicuntur homines, adeoq; parentes, læta mente mactare, & eorum carnibus uesci, absit ut illi mortuos lugeant, quos ipsi mactant uorandos. Nunquam ob mortuos lugentes increpauit, sed mœstos consolatus est, edocens se, & super mortem imperium habere. Quod latius exemplis in mediū adductis ostendere, operepreciū esse non duxi, Sane quia euidentissima sacræ scripturæ loca uobis inpromptu sunt, uidelicet Viduæ filij à Mortuis resuscitati, Christo loculum tantummodo, in quo repositus fuerat attingente. Et ecce, statim diuina operante potentia, anima & spiritus, in cadaueroſum corpus remigrat,

migrat, reuiuiſcit, & ſurgit mortuus. Nonne quoq; Chriſtum ſaltem mortuę adoleſcentulę manum attigiſſe, uitamq; imperſcrutabili potentia reddidiſſe, legimus? Lazarum deniq; quadriduanum Mortuum reſuſcitaſſe? Quæ exempla cum meridiana luce clariora ſint, atq; à ſummo orbis terrarum ſaluatore, Dei filio profecta, quæ dementia foret non imitari? quæ barbaries Cyclopica, huius authoritatē labefactare, et euertere? Quare luctuoſam hanc noſtri Pręceptoris Gryphsualdij I. V. Licentiati celeberrimi, Mortem, Vos maxime Iuris candidati, qui in perpetuum eius uoce magiſtra, & expedita lingua carere cogimini, mecum deplorate: hunc inquam lugete, huius funus lachrymis decorate, qui artifex docendi fuit peritiſsimus, qui ſe totum noſtris exilioribus ingenijs ita accommodauit, ſuos ſemper ſanctiſsimos conatus eo direxit, ut uiam compendioſam ingreſsi, felicius citiusq; inſtitutum curſum abſoluere poſſemus: qui maluit in nobis Philoſophiæ ueræ (quæ eſt Ciuilis ſapientia) fructum facere copioſum, quam ſeſe oſtentare, & innanes ſtultæ gloriæ fumos uenditare, cuius (ut ſupra dixi) declarationes, & in docendo præcepta, tam lucida nobis perſpicuaq; fuerè, ut quicquid interpretaretur captum ingeniolorum noſtrorum adaperiret, facile introitum nobis, ad cœtera Iuris penetralia reſeraret. Quid multa? omni obſcuritate barbarieq; exploſa, Romanæ eloquentiæ phraſin, materiarum ſeriem, ipſas rerum medullas, uerborum uim, cumulatiſsime nobis propoſuit. Didicimus inde minime falſo Iuuenalem cecinisſe.

Veniet de plebe togata,
Qui Iuris nodos legumq; ænigmata ſoluat.

Per quæ, satyricus, dominum Deum sua salutaria dona sine personarum acceptione largiri uoluit, non obstante nobilis quis, an ignobilis existat. Et quia omnes sanguine Christi mercati, atq; redempti, æquo precio, sine generis discrimine, sua dona partitur, ad quod dignissimū, & ubiq; aureis literis describendum, de præbend. & dig: c. uenerabilis frater, ibi, Nos attendentes, quod non generis sed uirtutum nobilitas, uitæq; honestas, gratum Deo faciunt. & idoneum seruitorem, Ad cuius regimen, non multos secundū carnem, nobiles, & potentes elegit, sed ignobiles, & pauperes, eo quod non est, acceptio personarum apud Deum. Hinc illud non minus elegans, quam uerum dictum Iuuenalis supra citatum. Licet plebeus fuerit, non ergo minus in Legali Philosophia ualuerit. Quibus generalibus præmissis, Præceptoris mei famam, & gloriam, uirtutumq; pæana immortalia fecisse, & concelebrasse uelim. Nam si in specie referre ceptem, quos ille nobis hic illic, in Iuris textibus scrupulos ademerit, abditos sensus discusserit, obscuritates, & uarias, & multas, admirabili ingenij alacritate, lucem ob oculos ponendo illustrauerit, sane, & audiendi uobis, & mihi dicendi tædium, & impossibilis labor subiiceretur.

Venit hic noster Gryphsuualdius sacri Iuris Professor de togata plebe, famigerata, & preciosissima salina, diuinitus nobilitatę Ciuitatis Lunęburgensis ortus. Qui nobis uarias Iuris intricatas spiras, & subtilissima inuolucra resoluit, Licet non ex nobili patriciorum genere fuerit editus, honestissimis tamen, & opulentis satis, uirtutumq; laude conspicuis, noscitur prodijsse parentibus. A teneris (quod aiunt) unguiculis

Lune-

Luneburgæ, sub Luca Losio suo Præceptore multis nominibus commendato, ætate, morum integritate, & eruditione ita excreuit, adeoq; primis fundamentis fideliter iactis, cum in literis, tum in moribus (quæ duo concurrere debent) mira dexteritate profecit, ut facile in sui admiratione quoscumq; traxerit, eo quod tantũ pietatis & eruditionis specimen, edere & post se relinquere posset. Atq; nunc cum prima artiũ fundamina (quibus non fideliter iactis quicquid superstruxerimus corruet) mediocriter percepisset, se ad capiendum uberiorem ingenij cultum, in celeberrimam VVittembergensem Academiam contulit, ubi fortiter in Musarum castris militauit, & inprimis in tam immenso ciuilis sapientiæ campo decertauit, ac iam fidelissime instructus, summa laude, & admiratione multorum 18. ætatis suæ annum attingens, in artium Magistrum creatus, & promotus est, ubi in publicis exercitijs, disputationibus, literarumq; collationibus, tantum ualuit, ut apud omnes laudem, taceo authoritatem facile consequeretur. Inde Rostochium ueniens, cum iam sacro-sanctæ Ciuilis scientiæ studio animum adiecisset, & iam Iuris limina salutasset, cepit Elementa Iuris studiosis fidelissime proponere, & sese priuatis non solum sed publicis quoq; exercitijs erudire. Quo tempore egregium, & acutissimum uirum, D. Doctorem Adamum Tracygerum, Iurisconsultum doctissimum, publice iura legentem, & profitentem audiuit. Præterea Rostochio pficiscens, Lypsiam celeberrimam Legum, cœterarumq; bonarum artium cultricem petijt, ubi Loriotthum doctissimum, perspiacissimum, sagacissimumq; Iurisconsultum, de quo nonnunquam gloriari solebat, quem mirum in modum, ob singulares uirtutes, &

tes, & solidam eruditione mnonnunquam prædicabat, audiuit. Illinc Erphurdium ,pfectus (ubi nefarium, & crudelissimum sanguinis sui Tyrannum, á puero educauerat, qui detestabile scelus in illum peregit) ibiq; disputando, & profitendo tit. de act. pro certo stipendio studiosis erudite ,ppositi. Vltimo, cum iam multas & uarias oras literarum gratia, præcipue propter sanctam Iustitiam peragrasset, Rostochium rediit, ubi statim occasione oblata, in utriusq; Iuris Licentiatum creatus, ab amplissimo Senatu, ut Iuris candidatos, altiori scientia imbueret, inauthoratus est. Profecto magno patriæ, parentibus, consanguineisq; suis, ornamento futurus erat, si ad maturam ætatem, per sinistrum fatum peruenire licuisset. Hanc de se præclaram spem pollicebatur, fere adhuc in prima lanugine constitutus, uix dum ephœbiam egressus. Ex quo colligere, & quasi iudicare licet, quanta refulserit in eo spes melioris frugis. In egregium uirum sic procedens, procul dubio excreuisset, si non dyræ parcæ sua inuida fila, nimis propere præcidissent, in eius ineluctabile fatum. Sed & de moribus, eruditione, & uirtute nostri præceptoris altius dispiciamus. Non uulgarem equidem, quam multis peranclatis laboribus eruditionem comparauerat, singulares insuper uirtutes, & comiter conuiuendi consuetudinem minime reticenda putarem, si mei qualiscunq; uires ingenij non ipse sentirem deficere. Attamen, quamuis morum meorum cogor aliorum censuras audire, de Præceptoris mei uiuendi rationibus pauca prælibabo.

Quod ad uitam attinet, affirmo eum moribus (quibus homo præcipuè instructus & præditus esse debet, & pulchrum in homine maximè literato ornamentum)

tum) minime corruptum fuisse, seruire tempori pernouisse, proq; professionis postulatione satis grauem, facundum satis, non iactabundum fuisse. Si non quibusdam plus sua prodesset iactantia, aut spermologia quam facundia, si non pollerent eadem, Gryphsuualdius & ipse facundis uiris (si modo quid mihi Iudicij pro mediocritate mea supereſt) connumerari potuisset. Modestia, qua generosus, & prefulgens erat, præcauebat sepe, ne sese, rabularū forēsium cœtui, leuiter commisceret, hoc est, quod adhuc in Sacrosancta Iurisprudentia floreſcere uideretur, ut litigiosas rixas à se relegaret. Professionem suam cum Labeone maluit ppagare, & cumulare scientiam legalem, quam se subito causis inuoluere, & triobularem (ut plurimum) sese exhibere consultum Iuris, semperq; contempsit hoc opinioſum genus hominū, qui dum legum antistites uolunt appellari, absconditam sapientiam, orationis copiam, uerborum, item, & sententiarum elegantiam, mira inscitia confundunt, & cum Romanæ eloquentiæ phrasin neglexerint, tantam τῶν νομῶν ἀσαφειαν studioſis obtrudunt, neglecto interim uero interpretationis, & legum declarationis usu, ut impoſsibile sit omnia hæc alicuius memoriam ferre posse. Ex quorum diutina lectione, nihilo certiores efficimur, quam Terentianus ille Demipho, qui consultis tribus amicis, cum unus suasisset, alter negasset, tertius deliberandum censuisset, feciſtis (inquit) probe, incertior nunc sum multo quam dudum. Atq; hæc res, plurimum studioſos legumq; Tyrones, ad contemptum Iuris Romani prouocat, & in ipso statim limine deterret, ut penitus præclarum hoc studij genus sine quo Reipub. salus & tranquillitas salua esse non potest, maximo communis

salutis dispendio auersentur. Illos igitur, & qui sic in causis perorandis balbi prosiliunt, & uixdum legum primordijs degustatis, glorioſuli se mirum uenditant, forensibus istis rabulis, locutuleis, ac uitilitigatoribus merito condeputamus, & illos laudamus qui se sinunt matureſcere, & ad præclariora reseruant, quæ fuit defuncti nostri præceptoris commendatissima sententia. Et cum mortales naturaliter alteri prestare certent. Ci-
a. 1. Offic. cerone in hæc uerba dicente a Omnes trahimur, & ducimur, ad cognitionis, & scientiæ cupiditatem, in qua excellere pulchrum putamus, nescire autem, & malum & turpe ducimus. Et alius, aliam uiam quo citius eo quo tendit peruenire possit, ingrediatur, sic ille, mihi minime omnium operam lusisse uidetur, qui se ad hanc legalem scientiam non sine magno rerum suarum dispendio applicuit, & recte: sine hac enim, totus terrarum orbis, nec eius pars aliqua, uel minima particula mundi, consistere non potest, patent hæc in laudabili Auth. ne filius pro patre. Qua enim alia re, quam lege, ciuilis humanę uitę conuentus conseruatur? Quę est, uel dici potest uita sine hominum sibi consentientium, & paribus æqualibusq; legibus uiuentium societate? Non abs re est, Quod & maiores nostri Ciuitatis animam legem dixere, quod sicut sine anima corpus, ita sine lege nulla ciuitas persisteret. Sublatis enim legib. fracta est omnis Reip: tranquillitas, & salus populi funditus euersa esset. Quis furentem in arma frenabit populum? Et nullo implicitas sedabit ligamine gentes? Quis alta dabit consilia? publica suadebit, statuetq; commoda? Quis pauperi, depresso, inopi, peregrino, incolæ, ciui patrocinabitur, & suum cuiq; ius reddet? Quis terras, maria, locosq; conseruet, si non fue-

non ſuerint qui huic ſtudio, id eſt, ſacroſanctæ Iuris Ciuilis ſapientiæ operam nauent? Hæc adoleſcentes ſi in ſua facultate periti fuerint reperti, nobiles facit b, Qui quantum Reipub. proficiant, & quod non minus prouideant, quam ſi prelijs atq; uulneribus patriam parentesq; ſaluarent. c Et nulla alia certior honeſtę uitæ ratio, nulla uberiorem fructum rependit, nulla plus dignitatis claritatisq; homini confert, quam hæc Ciuilis ſapientia, cui hic noſter præceptor nocte dieq; inſudauit. Rurſus igitur in iuſtæ querimoniæ uocem mœſtus, ac gemens prorumpo, quod ipſum ſuauiſsimæ memoriæ Ioachimum Gryphsuualdium, hoc noſtrum Iuris candidatorum decus, & præſidium, peſtilentiſsimus, & nefarius ille Latro ſuſtulit. Hoc per omne ſeculum execrabiliſsimus proditor turpiſſime necauit. Hoc perfidus famulus plumbea ſphæra, per ſclopettum, arte diabolica fabricatum inſtrumentum, traiecit. Hoc telo tabifico inuitam traxit animam, & ab artubus uitalem ſpiritum euulſit, Et cadaueroſum fecit eum, quo cum ſuauiſsime, pridie quam moreretur ſum colloquutus. O mentem ſacrilegam, O ſcariotticum propoſitum, O ſcelus nefandum, O inauditum facinus, O te innocentem effuſum ſanguinem; ferreus & adamantinus ſit oportet, cuius uiſcera in hoc triſti ſpectaculo, non commoueantur? Quomodo ullum in ſua facultate, uirtute, & eruditione parem inueniet? Multis ah ille flebilis occidit, nobis in primis Iuris alumnis, & mihi omnium ſuo conuictori maxime. Ex narratione, & recitatione (nouit Deus) totus tremo, & perhorreſco, ob hoc crudeliſsimum factum, & apud me non ſum, dum hanc ſubitam præcioſi mei Præceptoris mortem altius meditor, Dum ſuos eiulatus, &

b. Imp: ualēt. & ualens. in l. pen: C. de poſtul: c. Videnda nobiliß: l. Aduocati qui dirimunt ambigua facta cauſarū, C. de aduoc. diuer: Iudicior.

tus, & doloris plenos clamores, in animum reuoco, ah uereor in auribus meis semper tremulaturos. Quid me miserum tam crudeliter perdite, perdis? uociferatur iam
// læthaliter uulneratus. In horto Collegij nostri Iurisperitorum transambulat murum, in eo traductum, quo concluditur ac cingitur hortus, ubi quotidie legere, aut precari solebat, atq; nunc ad templum iturus, in libello quem manibus gerebat, nescio quid miserabilis legit. Tunc perfidus & nefarius Latro, quem iam à puero educauerat, quem mirum in modum amabat, cui se totamq; uitam, & omnem substantiam confidebat, quem bonus uir nullo unquam tempore, à se ablegandum statuerat, hunc turpissime sclopetto necauit, hunc (inquam) diabolico instinctu sustulit: Sed mirum quomodo tantum ei in cogitationem facinus uenire potuerit? Ast contra ille, negligebat obseruare dominum, cepit & contemnere, paulatim in os resistere, iracunda uerba reddere, & sub precordijs fel latens expuere, & uirus exhalare. Ah mi Gryphsuualde anime mi, hac nequitia manifestata, nunquid in lure legisti? Non esse meliores, euidentioresq; coniecturas, quam bona malitiæ argumenta, animi exulcerati, doli, fraudis, supremæ negligentiæ: Vtinam tunc furem abdicasses, aut aliquo relegasses. Vltro citroq; igitur, cum perspexisset fœdissimus Latro, caute per fenestrã speculatur, ut eum à tergo tormento transfoderet, atq;
// nunc commoditate perspecta: Dracone imprimente rotulam, patella funesta nigrante puluere plena, ferramenta resoluit. Ibi dum silex in ore draconis existens, scintillas euomit gehennales, & flammam repente suscitat, increpat ibi infausta bombarda, & cum fragore stupendo innoxium prosternit uirum, totum corpus

transuo-

transuolitante, ac transuibrante sphæra. Cumq; ictu grauissimo prostratus decumberet, sese moribundus erigere conatur, atq; languescens in cubiculum irrepere, uix sese in pedes constituerat, & limen tangere cepit. Ibi tum fœdissimus Latro, intrare cupienti resistit, atq; eius arrepto capite in dorsum recuruat deorsum. Ibi denuo uulneratus labitur, atq; alto trahens suspiria corde, uix intus trepidantem spiritum continet. Interea sceleatus fugam sibi parat, atq; secum defert, quæ ex effractis scrinijs suffuratus erat. Noster uero præceptor, in ipso mortis constitutus articulo, uix tandem tantillum uirium recolligit, ut cubiculum repetat: Ibi puellam (forte fortuna) p foribus stantem conspexerat, quam, ut ad ædes domini Pastoris diui Petri, illum deduceret sollicitat; quæ, misericordia mota, roganti morem gerit; ubi infortunio cognito in lectum reponitur, & inibi sacramẽto accepto, tristem non multo post mortalem ictum, animam exhalantem, & ad cœlica regna migrantem uidemus. Sic probus, & innocens periit, & interijt, atq; è uiuis sublatus est, quasi non fuerit Deo dilectus. Nunquid hunc lachrymabilem casum deflebimus? Illius truculentissimi, impij, & audax caput admirabimur? Quis pro meritis, funestum, & terribile factum poterit satis exaggerare? Nunquid hic erimus Marpesię Cautes? Et horrenti similes Caucaso? Aut hi quibus hyrcanæ admorunt ubera Tygres? haud moribus & mentis stupiditate dissimiles? Equis, & mulis propinquiores, quouis intellectu carentibus? quum quilibet uestrum, hominem sese fateatur, & humani nihil à se alienum, facile inducor, ut credam neminem, uel in hac esse congregatione, qui non intime mecum congemiscat, lamentabile, execrabileq;

fatum deploret: Qui non mœrore uel maiori, super hac tam cruenta Morte perturbetur, & flagitiosum facinus, per uniuersum Christianum orbem, publicandum censeat: ut omnium commiseratione magis impium factum detestetur. Donec hic Latro (ubi ubi fuerit diu latere non potest) iusto fuerit subditus supplicio, ut pij omnes impium, & nefandum facinus execrentur, alij maleuoli, & scelerati homines, á tam horrendo maleficij proposito deterreantur. Id mecum quæso precemini pariter omnes, ut Deus ipse, qui de tanta improbitate, uindictam, licet differre, tamen non auferre solitus est, hunc Latronem, pestem omnis uirtutis diu impunitum uagari, & inultum diutius remanere non patiatur: Sed post insepulta membra differant lupi, & exquilinæ alites.

QVantum uero considero, uidentur obiecta quatuor refellenda, uel ijs ueluti in contrarium argumentis respondendum. Primum, quod super funere defuncti, & inobliuioſi mei Præceptoris, non fuisset lugubriter declamandum. Secundum, quia in hoc mundo nihil fiat, quod non Omnipotens Deus ante præuiderit, quod dum fit, non esse quod lugeamus, cum sit ineuitabile fatum. Tertium, quod sibi imputari debeat, (quod quidam aiunt) quia famulum malum sociauit sibi. Quartum, quia male uiuendi ratio consimilem de necessitate sortiatur exitum. Ad primum respondeo, fatendum esse, quod Apostolus sic effatus sit. Nolumus autem uos ignorare fratres, de dormientibus ut non contristemini, sicut cæteri spem non habentes, Si enim credimus quod Iesus mortuus est, & resurrexit, Ita & Deus eos, qui dormiunt per Iesum adducet cum eo. Quid hic Diuus Paulus innuat, non

1. Thes: 4.

est adeo

est adeo obscurum. Non mihi uidetur prohibere luctum, ob mortem amici defuncti, sed ne simus similes infidelibus spem non habentibus præcauendum esse declarat. Illi cur lugeant habent, quia nunquam Mortuos in lucem reuersuros existimant. At, nos Christiani qui spe firma nitimur, qui Christum pro nobis passum, & resuscitatum, nunc in cœlis ad dextram patris omnipotentis assidentem, credimus, lugere quidem, & mortalitatis nostræ calamitatem deplorare non prohibemur, sed ad tempus, non in infinitum, neq; modum seruantes ullum. Charitas in nullo magis lętatur, quã conuersatione mutua, eaq; diuturna, diutissime gaudere, inter sese uere diligentes. Vita est ipsa diligentium consuetudo gratissima, quæ dum per Mortem alterius rumpitur, tanto magis excitatur dolor, quanto fuerit amor ardentior, quod est maxime secundum naturam, non contra. Nam si nobis nullam tristitiam discessus attulerit amici, nulla est amoris significatio. Cum Petrus discipulus Christi in uinculis detineretur, & in mortis constitutus periculis, Ecclesiam ob illum metus, & mœror tenebat, nec non pro illo sine intermissione orabat. Cumq; noctu peruenisset, ac renunciatum foret, Petrum pro foribus esse, gaudio magno pij omnes affecti sunt. Sic, sine mœrore pij distrahi nõ possunt, nec amitti sine maximo luctu. Verum, hæc est tandem consolatio nostra, quod uicissim nos spectabimus, in regione uiuorum, totiusq; cœlestis exercitus. Quod autem plurimi sentiant mortuos non esse lugendos, id hac intentione fieri existimandum est. Nam licet hoc iubeant moneantq; omnes, Tamen, si cui bonus amicus decesserit, cui Pater charus, Mater dilecta, cui Fratres, & Sorores, pulchrum in uita mortali, in Actor: 12.

tali, in discriminibus uarijs refugiũ, per dira fata (quæ uocant) fuerint auulsi, fieri non potest, quin illis immensum doleat abstractis. Quis ramus ab arbore, sine fragore, & dolore trahitur? Vitem uidemus truncatum ob aliquem ramum, suis lachrymis dolorem diu testari: Videmus, & consideramus animalium gregatim pascentium eam naturam esse, Si unum in periculo constitutum, & clamorem fecerit, relíqua generis eiusdem accursare, opem latura. Et nullum plane est, quin querula uoce condolentiam manifestet. Eadem συμπαθειαι, in humano genere, uel est, uel esse deberet. Nam quanticumq; nobis Philosophi uidemur, superat tamen in hac quidem parte natura prudẽtiam. Qui amicum (ut dixi) & fidelem in uita mortali sodalem amittit, non potest non, præiusto mœrore doloribus afficí. Qui, quam ex animo diligit uxorem, per mortem (quæ uastat omnia) amittit, lachrymas interioris doloris indicia, reprimere non potest. Sic contra qui per mortem mulieris rixosæ liberatur, tacitus & in sinu gaudet, & simulatum præsentat dolorem, ut & hæredis fletus, est sub persona risus. Sed in eum finem non lugemus Mortuos, in quem Paulus prohibet, relíquaq; sanctorum uirorum turba, quasi spem resurrectionis non habentes. Cæterum sicuti amabilis societas, & conuersatio iucundissima, qua uel nihil in hac mortali uita, nobis optatius & desiderabilius esse potest, nunquam redintegranda rumpitur. Sic Mors Christi, discipulis fuit summo mœrorí, & in primis Magdalenæ, (de Mariæ Matris domini, nullum uersatur dubium) cuius dolor per resurrectionem, & triumphum Christi, uersus est in gaudium, Proinde Christus ob Mortuos, nunquam tristes, & deplorantes obiurgauit:

gauit. Angelus domini, à Deo, in Christi redemptoris nostri sepulchrum missus, in mulieres tres (ut nostis) non intonuit, quæ emptis aromatibus, uenerãt ut unguerent Iesum flentes: sed ostensis linteis quibus inuolutus fuerat, resurrectionem & uitam annunciauit, ad consolationem, & ad excitandam in corde lætitiam. Sic natura comparatum est, ut, quanto plus ob amicum, doloribus periculisq; distractum, dolemus: tanto magis perfundimur lętitia maiori, liberatione percepta. Quod ubi non fit, non amicos nos esse declaramus, sed tales, quibus perinde uidetur, uiuat aliquis nec ne, bene illi an male sit, æger maneat an conualescat, afflictionem patiatur, uel exhilaretur. Nullum facit temporis discrimen, congaudendi, contristandi, congemendi, collætandi, concinendi, conticendi, colloquendi, conuiuendi. Sic ut rectius dicatur: Truncus esse, ficulnus in utile lignum, siue potius horribilis ille Caucasus, à quo omne humanum longe est alienissimum. Non temere dictum est: Melius est petere domum luctus quam gaudij, de quo infra latius. Pauli uerba bene perpendi, atq; sententiam uerborum teneo, sed meæ non uidentur repugnare sententiæ, aut huius oraculo, mea non obstrepit qualiscunq; sententia. Nam tanto dolore non sum perfusus, ut de Charissimi Præceptoris salute dubitem: Sit hoc procul ab homine Christiano, quod plane est Ethnicorum. Beatius longe nunc quam olim, hoc Iuris candidatorum decus existimo, atq; eius casus duros, & miserabiles, diuinam clementiam commiseratam spero. Proinde, misericordia Dei per Christum esse circumplexum. Sed quod dissoluta sit conuersatio nostra, eaq; finem sumpserit æternum, quodq; tam crudelem, & sangui-

nolentum, tamq; repentinum, meus optimus præceptor exitum habuerit, hoc pietatis affectu stimulante de-
13. q. 1. ploro. Nec huc pertinere uidetur, quod Cyprianus
quam præposterum. ait: Peruersum esse præposterumq;, cum in oratione dominica, quotidie precemur: ut fiat uoluntas domini. Et quando nos in æternam patriam auocat, quod non statim eius imperio pareamꝰ. Obnitimur (inquit) & reluctamur, & peruicaciam more seruorum, ad conspectum dominicum, cum tristitia, & mœrore perducimur, exeuntes istinc necessitatis uinculo, non uoluntatis obsequio, & uolumus ab eo præmijs cœlestibus honorari, ad quem uenimus inuiti. Nolo quicquam contra tantum Theologum, uirum & Martyrem sanctissimum, temere dixisse, qui forsan non hoc uoluit, ne quis per Mortem defuncti amici tristaretur, aut nullis moueretur humanis affectibus, Sed ut pro nomine fideq; Christi tuenda, nemo perhorresceret mortem, quia glorioſum esse morte sua, fidem Christianã facere testatam reputaret, ut quilibet Christianus miles forti, robustoq; pectore, contra huius mundi Principatus, ac potestates, & immundorum spirituum assultus staret, nullas formidans Tyrãnorum cupiditates, quas nullo modo frenari possunt, nullius metueret minas, nullos cruciatus, nullaue tormenta, quin Christũ contra rabidos Iudæos, & quoscunq; idolorum cultores, constantissime profiteretur. Et filium Dei prædicaret uerum Deum, & hominem natum, redemptorem generis humani, â Cœlesti patre Deo Omnipotente in hunc mundum missum, crederet. In quo solo, & per quem unum tantum, & non alium, salus, uita, protectio, & resurrectio, tanquam ex liquido fonte promanauit. Tum etiam uoluisse sanctum Martyrem liquido con-

do constat, ne tristaremur immodice, ne quasi spe melioris, hoc est, immortalitatis uitæ carentes, infinitas fundaremus lachrymas. Sed modum, pulcherrimam rerum uirtutem seruaremus, In quo per naturam nimium exuberamus, hæc huiusmodi præceptis Apostolicis, & diuinarum scripturarum locis temperaremus. Dicit Cipriánus, (de Dei dignatione) præceptum esse, ut contestaretur assidue, ut publice prædicaret: fratres, accersione dominica, de seculo liberatos non esse lugendos: cum non amitti, sed præmitti sciamus, recedentes præcedere ut proficiscentes, & nauigantes solent. Recte quidem ille, Nam est nostrum rogare, ut hoc ergastulo liberemur, ubi nunquam pax stabilis, & nusquam certa, fidaq; bonis statio, ubi uelut in procelloso mari, continuis agitamur fluctibus, ubi nobis singulis momentis, præsentem intentant omnia mortem, maxime ueritatis, & sanctæ Iustitiæ cultoribus, quibus præ cæteris, aduersus omnem maliciam, continuum certamen, quos semper impensius odio prosequũtur, ac canino dente rodunt. Vnde Paulus, dissolui, & esse cum Christo rogabat. Si nunc precibus nostris Deus miserator, & iustus, inclinatus uocauerit nostros hinc, quis quæso tantæ uir audaciæ stultitiæq; qui hoc incontinenti gemitu deploret? Nam præcioſa Mors in conspectu Dei, & sanctorum eius. Nec eo tendit hęc declamatiuncula nostra, sed hoc affirmat, Quomodocunq; res ceciderit, Deus usq; laudandus, nihil quicquam mouebimur, quo fato in sublime uehamur, *d* modo detur esse cum Christo, ita quoque perinde esse debet, ubi sepeliamur, quia non locus hominem sed contra, religiosum facit: *e* quò faciunt hi uersus.

d. *Archid: sup d. c. quam præpostrũ.*

e. *§. Religiosum Inst. de re. di.*

Libera fortuna mors est, capit omnia tellus,
Quæ genuit cœlo tegitur, quæ non habet urnam.

f. Ad idem elegantissime Cicero, *f* adducit Cirenei-
In tuscul. lib. 1. um Theodorum Philosophum non ignobilem, quem miratur in hoc Cicero: Quod, cum huic Lisimachus Rex, crucem minaretur, istis quæso dixisset, ista horribilia minitare purpuratis tuis, Theodori quidem nihil interest, humi ne, an in sublimi putrescat, Cinicum Diogenem parum probat qui se inhumatum proijci iussit. Anaxagore responsum præclarũ existimat, qui cum moreretur Laupsaci, prius interrogatus, uellet ne Clazomenas in patriam auferri, qui tum ait: Nihil necesse est, undiq; enim ad inferos tantundem uiæ esse. Quæ quidem obtinent, si ferocibus boni, fidelesq; lacerentur Tyrannis, & honorifica denegetur sepultura. Sed si contingat, inter amicos (domino uocante) mori, dignam, honestissimamq; curabimus habere sepulturam, quam nobis delegemus, ut post pauca referemus, ut sepeliamur ab amicis uirtute, & pietate dignis, Nam uanus non est uersiculus ille.

Mollius ossa cubant, manibus tumulata suorum.

13. q. 2. c. ubicunq;. Sic ait Chrisost: in Epist. ad Hebræ. & insuper dicit, Lugere autem deplorare, & lamentari eos, qui ab hac uita decedunt, hoc ex pusillanimitate, contigit, ut ex desperatione futuræ resurrectionis intelligitur, unde Apostol. (inquit Chrisostomus ut & à nobis supra introductum) non simpliciter ait: Nolumus uos ignorare fatres de dormientibus, ut non contristemini, Sed addit, & quasi annectit, Sicut cæteri qui spem non habent. Videtur Paulus, ex fonte Charitatis dolorem, mœoremq; scaturientes non prohibere, nec pijs mentibus interdicere, Sed cauere docet, ne sic contriste-

tristemur, ut ij qui spem resurrectionis non habent, qui per consequens futurum uniuersale Iudicium non credunt, ubi sint accepturi mercedem, quale exemplum ab Ethnicis hic breuiter inseremus. Martia Catonis filia, minor, cum diutius lugeret maritū, rogata, quem esset habitura diem luctus ultimum. Respondit, quem & uitæ. Sic illa Ethnica, quę futurę resurrectionis spem non habuit, & magno sane cum dedecore plurimarum Christianarū, quæ uiro nondum elato iam nupserunt, nobis exemplo est. Hinc est, quod Chrisostomus, allegato loco subiungit, dicēs: Pietatis namq; affectu, humanitatis intuitu, mortuos lugere non prohibemur, Sicut nonnullos sanctos, aliorum exequijs, pias lachrymas impendisse legimus. Hæc sanctus ille Pater, cui correspondet, sanctus Ambrosius, in lib. de obitu. Imperatoris Theodosij, ubi allegat, c. gen: 50. Per cuius lectionem ostendit, quas in funeribus piorum conueniat Christianis obseruare solemnitates. Vbi similiter uidere licet, quod curaturis funus, festiuos esse, gaudere, & lætari, uel quasi ad nuptias ituri non deceat, ut apud quosdam mos ille gentilis inualuit, & magis magisq; totus hodie inualescit. Diuus Ioseph de patre suo Iacob, spem certam habebat, super benedictione sempiterna: Sed cum Iacob patrem mortuum uidisset, cui pre senectute grauissima, caligauerāt oculi, non gauisus est Ioseph, nec fratres eius: Non tripudiauit, non se uestimentis exornauit aulicis, non se gemmis auroq; redimiuit, sed cecidit super faciem patris sui flens, deosculans eum, Præcepitq; seruis suis, Medicis, ut aromatibus condirent patrem. Quibus iussa explentibus, transierunt 40. dies. Item, fleuit eum tota AEgiptus, septuaginta diebus. Et expleto

13.q.2.c. quia alij.

planctus tempore, &c. Iacob sibi delegerat locum sepeliendi in terra Chanaan, quo eum deferri curauit, ipso cum fratribus subsequente, concomitantibus cunctis, totius AEgipti senioribus. Habuit quoq; in comitatu, currus, & equites, ubi uenisset ad locum sepulturæ, exequias planctu magno celebrarunt, & septem dies impleuerunt. Quæ spiritu sancto suggerente, & pietate suadente, à sanctis patribus facta esse existimo. Nam quod Deus hunc sepeliendorũ cadauerum ordinem mandauerit, uel interdixerit, non memini me uel audire, uel legere unquam. Sed hanc, erga patrem filij pietatem, perplacuisse Deo dubium non est. Hinc facile inducor, ut credam morem sepeliendorum mortuorum, in Ecclesiam, maximorum piorumq; uirorum authoritate fluxisse, & ad hanc sententiam tuendam, maxime dictis S. Ambrosij, de Theodosij Imperatoris obitu, firmor, & innitor constantissime. Hæc ergo sequenda solemnitas est (inquit) quam præscribit diuina lectio. Eodem spectat quod filij Israhel planxerint Moisen 30. dies, et consumati sunt dies luctus. Ex quibus concludit can: Quod ergo utraq; obseruatio habeat authoritatem, qua necessarium pietatis impletur officium. Habemus hic euidens & meridiana luce clarius exemplum, in Ioseph, & fratribus eius, plangendi obitum illorum quos charos habemus, & quod magis tristatus sit, qui plus amauerit, quod exemplum scriptura, uel potius sanctus paracletus, diuinis inclusit annalibus, ut nunquam perituræ commendaretur memoriæ, non ut recitaretur tantum, sed ut omnes pij Christiani semper imitarentur, quod Christum imitatum esse supra diximus, & nobis imitandum (modo uerum credimus quod omnis Christi actio nostra sit

institu-

institutio) reliquisse, sic tamen, ut planctus finito tempore, sub spe firma futuræ resurrectionis & apperituræ gloriæ Christi, consolationem admittamus: quam indubitatam spem qui non habent, ne quidem consolationem admittunt. Nostrum uero est, spem, & repmissionis, & resurrectionis semper ob oculos habere eiusq; meminisse, ac tandem consolationem admittere. Quod dum facimus, modum, quæ omnibus in rebus est uirtus pulcherrima, non excesserimus, uitam scientes alteram, perennem, & salutarem, confidentes de hoc seculo, ad melius transitum patêre. Nos autem inquit Anastasius qui hoc credimus, & docemus, de obeuntibus in Christo non debemus multum tristari: Ne quod apud alios pietatis tenet speciem, hoc magis nobis in culpa sit, quasi spem, dicente Apostolo, non habeamus. Quasi omnino tristandum infunere non sit neutiq; asserit, sed excessum Anastasius improbat, quod & nos facimus. Lugemus etenim, sed spem resurrectionis habẽtes, quando ad Angeli tubam resurgẽt mortui, equidem uere cognouimus nos esse mancipia Christi, ut Paulus inquit: Siue uiuimus siue morimur domini sumus. Non oportet Ethnicos in ea sententia melioris mentis esse, præ nobis Christianis. Ciceronis hæc sunt quæ sequuntur. Atq; ita uelut superiore loco concionandum ut homines mortem uel optare incipiant, uel timere desinant. Nam si supremus ille dies non extinctionem sed commutationem affert loci, quid optabilius? Si autem perimit, ac delet omnino, quid melius quam in medijs uitæ doloribus obdormiscere, & ita conniuentem somno consopiri sempiterno? Mortem non esse extimendam, dilemmate quasi Cicero affirmare nititur. Nam necessarium est, alterum de duobus

13. q. 2. c. habent.

Tuscul. qq. lib. 1. in fin:

duobus admittere. Si mors est mutatio tantum loci, & mortalis uitæ, cum immortali commutatio, miníme metui, defleriq; debet. Si perimit, & omnino delet, nec metui debet, quia tędioſos ſoluit labores, ad hoc adfert duorum autoritates, Enníj, atq; Solonis. Enníj præfert Solonis ſententiæ, nos (ut temerarij certe) contrarium facímus Solonem præferentes, audíamus utrumq;. Ennius.

Nemo me lachrymis decoret, nec funera fletu,
Faxit &c. Solon.

Mors mea non careat lachrymis, línquamus amícis
Mœrorem, ut celebrent funera cum gemitu.

Magis ad Eccleſiæ conſuetudínem Solon accedít, & conuenít cum authorıbus ſupra allegatís, & ad eam, quam ſupra íntroduxí ſacram ſcripturam: Planctus ſuper Mortem Iacob, à Ioſeph, & fratríbus per tot dies peracti. Et quæ Cicero perſequitur loco iam citato, uera ſibi quídem uídentur, ſed Prophetica illa, & indubitata non legerat, Non iuſtificabítur in conſpectu tuo omnís uíuens, ítem, Neſcit homo an amore uel odío dignus ſit: Nec illi conſtítit, uenturum eſſe Ieſum Chriſtum dominum noſtrum, iudicaturum uíuos, & mortuos, bonos ſecum ad æterna gaudía deducturum, malos perpetuo cruciandos, ad orcum, in æternam condemnatíonem præcipitaturum. Quæ ſane nobis Chriſtianís, uaríjs peccatorum genertbus ínuolutís, metum, & horrorem incutíunt non mediocrem. Dies illa non dies trípudij, non confidentię, non diſputationís, non commeſſationís: Sed profecto, dies triſtítiæ, tremorís, & horrendus ualde. Quís íbí per omnía iuſtus apparebit? coram Iudíce iuſto, cui omnium & ſingulorum homínum cogitationes notæ ſunt, Vbi

de quo-

de quocumq; uerbo ocioso, Dei filius rationes exiget, Vbi quilibet, sui criminis conscius, non poterit non, expauescere. Huic nemo mentiri, neq; interrogatus negare poterit, nimirum propria conuictus confessione, condemnationem habebit expectare. Et considerandum ualde, quod qui accusabit idem erit testis, & idem Iudex, sine quouis appellationis remedio, aut ullis repræhensionis permissione. Ibi demum recte, fœda obloquentium, & blasphemantium iniqua ora obstruentur, rabidi uirulentiq; in pios morsus sanentur. Trepidabunt in conspectu Dei, tam terra quam cœlum. Experientur Impij diem illum, diem iræ futurum, diem calamitatis, miseriæ, amaritudinisq; extremæ.

Quare noster (ut Cicero putat) exitus, homini Christiano se peccatorẽ agnoscenti, Iudicem iuste iudicaturũ credenti, lętus esse nõ poterit, quod omni Christiano maxime lęsam conscientiam habenti faciendum est. Sine cuius scrupulo, quis unquam mortalium purus euasit? Latronis in cruce pendentis, & Christum agnoscentis magna gratia, Christum innocentem, immaculatum agnum, & Deum asseruit, contrarium facientem collatronem reprehendit, pœnitentiam morti propinquus, cum iam scelera confessus esset, egit. Hæc cum sic humiliatus cum Christo, spontanea uoluntate præmisisset, non ausus est postulare, ut cum Christo triumphaturo regna sempiterna petere liceret. Sed saltem, ubi uenerit in regnum Patris cœlestis uellet sui meminisse supplex rogat. Et per hæc uerba commotus Christus, respondit: Amen, amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso, ut qui socius fuit crucis, agnoscens conditorem, & authorem mundi, qui

medius pendebat, fieret, & socius regni cœlestis. Hic tamen lætus non abijt, nec ipse Christus, qui magna uoce clamauit, Pater, ut quid dereliquisti me? Mariæ Magdalenæ lachrymarum meminerimus, quibus iuxta historiam Euangelicam Christi pedes irrigauit. Et quomodo rursus capillis extersérit, Iesum amplexa, & deosculata sit, deinde quomodo instar caniculæ sub mensa uocem murmurantis Pharisei despiciens iacuerit, penitiori mentis indagine consideremus: qualia exempla plurima quidem in medium adduci possent, si temporis angustia permitteret. Formã uero pœnitendi hæc nobis optime exhibuit, inter cætera succurrat nobis Christus, & omnem nostrum suppleat defectũ, nosq; sua inperscrutabili misericordia anticipare dignetur. Per uaria mortis genera perimus, ut hic noster Gryphsuualdius peremptus est, qui procul dubio tunc nihil tremendam mortem metuit. Quare Ciceronis uerba per omnia mihi placere nequeunt, quæ sunt huiusmodi. Nos uero, si quid tale acciderit ut à Deo denunciatum uideatur: Illud recte, ut exeamus è uita læti, & agentes gratias, emittiq; nos è custodia, & leuari uinculis arbitremur, ut aut in æternam, aut in nostram domum remigremus. Profecto, non impia hæc sunt, nec infelicia si cui contingere possunt, ut nobis Christianis peccatorum pœnitentiam habentibus fide, spe q; fruentes, In Christum, corde contrito, & humiliato (quod Deus non despicit) uere credentes, in palatium stellatum simus remigraturi, quo Gryphsuualdium hoc nostrum Iuris Candidatorum decus, & præsidium receptum esse nullum uersatur dubium. An (inquit Cicero) omni sensu, molestiaq; careamus. Illud quidem homini Christiano indignum ipsoq; cacademone magis

magis uitandum iudico, qui resurrectionem mortuorum uera, unanimiq; fide in Christum, amplectimur, et uniuersale Dei iudicium constanter affirmamus. Qui bonis uitam æternam promissam, Malignis, & inobedientibus perpetuam condemnationem ab æterno paratam, asserimus. In cœlis infinita gaudia, Angelorum concentus, sanctorum, & piorum omnium exercitus, in fulgidissimo Dei aspectu, triadem illam diuinã omnipotentiam unanimiter concelebrantes, quam lætitiam, gaudium, & gloriam, uel nullus in toto terrarum orbe, licet angelus de cœlo descenderet satis declarare potest, quibus nostrum præceptorem, pro in hac miseria, & calamitate, perpesso dolore consolari confidimus. Sed ue, inquit scriptura, illis, qui ab alto cœlo, ad infima tartara, in exteriores tenebras demittuntur, & præcipitantur, ubi fletus, & stridor dentium, ex quibus deniq; nulla redemptio, unde in hæc uerba egregius poeta cecinit.

Facilis descensus auerni,
Sed reuocare gradum, superasq; euadere ad auras,
Hoc opus, hic labor est.

Quibus tantus Latro dignus est supplicijs affici, & continue conteri, nisi in summam incidens pœnitentiam peccatorum remissionem consequatur, ad animæ suæ salutem, quam tamen afflicto corpore, & iusto in terris subditus supplicio, saluam seruatamq; uelim. Nec mihi Canon: *g* (salua authoritate canonica) per omnia quod res est prohibere uidetur, dum allegat, Paulum. *h* Licet ibi aliter interpretetur, Tamen, pro mea tenuitate uerba non alium sensum præ se ferre uidentur, quam si diceret, Contristari quidem potestis, sed non ut illi, qui spem non habent consueuerunt.

g. *Qui diuina* *13. q. 2.*

h. *d. c. 4. ad* *Thess: 1.*

Qui tam diu pectora tundunt, ut omnis commiseratio uere ficta sumatur, his subiungit, quod dominus Lazarum mortuum non fleuerit, sed quod ad huius mundi ærumnas eum resuscitandum deplorauerit. Quæ interpretatio salua (ut dixi) reuerentia, absurda mihi uidetur. Quæ in actione Christi consistunt, & per Christum, sine uerborum expressa declaratione, in mente retenta sunt, meliorem interpretationem habere non possunt, quam à circumstantijs, à tempore, à loco, à conditione personarum, à rebus hinc inde gestis, ab antecedentibus, & consequentibus. Christus cur collachrymaretur ac tristaretur, non indicauit. Sed quia scriptum, flete cum flentibus, gaudete cum gaudentibus, &c. Hac actione præstitit, quod ante diu Spiritus Sanctus commiseratus calamitosam mortalitatem docuerat. Non solum considerantibus nobis, quid Christus peregerit, sed etiam quomodo, quantum, quibus, & ubi: Spiritus sancti cooperante gracia, facilis erit actionis dominicæ sensus, & intellectus inuestigatio. Cur discipulis pedes succinctus lauerit, ipse diuina uoce docuerit. Cur Hyerosolima uisa fleuerit explicuit ipse, sicut alia multa: Sed hic nihil super lachrymis suis casurum dixit, Quas igitur ex circumstantijs animaduertere oportet, ut modo commonstrabimus, sunt plures (utinam paucos uerius dixerim) qui huiusmodi altius non introspiciunt, nec attendere uolunt, imo ob nimiam ceruicum duritiam dedignantur. Hic inde quorundam sacræ scripturæ interpretationes amarulentæ, atq; mordaces, quibus plus dissociantur homines, & charitates dissoluuntur, quam mutuæ dilectionis, & charitatis uinculum cõsolidetur. Nam dum sanctas, & religiosas actiones, aut nimium laxant, aut restringunt

ſtringunt nimium, prout ſuo dogmati ſtabiliendo, & contrarium demoliendo putant conuenire, frangunt magis, ſuis bonis fundamentis conſiſtentia, quam quod meliora prouocent. Non hæc in allegatum Canonem, uolo retorſiſſe, quem nobis non eſſe contrarium infra deducemus. Nam ſi Chriſtus deploraſſet ad ærumnas reſuſcitandum, non conueniret, quod paulo ante diſcipulis dixerat. Lazarus mortuus eſt, ſed gaudio propter uos, ut credatis. Et paulo ante ſe amicum eius declarauerat, cum inquit: Lazarus amicus noſter dormit, Nunquid hoc imitabimur? dicentes, Gryphs uualdius amicus noſter dormit. Nunquid ut illæ Sorores, mortem deplorabimus? Textum Euangelicum penitius queſo ueſtigemus. Maria audiente quod ſaluator adeſſet, repente ſurrexit, & ad Ieſum, tanquam ſacram anchoram properauit. Iudei, qui in ea domo congregati fuerant, & mœſtos conſolabantur, dicebant: Quia uadit ad monumentum ut ploret ibi. Notentur hic uerba: Et conſolabantur, item: ut ploret. Maria autem ubi ueniſſet ad Ieſum, ad pedes eius proſapſa, rogabat: Domine (inquiens) ſi fuiſſes hic frater meus mortuus non fuiſſet. Ieſus cum uideret eam plorantem, & Iudeos qui uenerant cum ea, Ecce pium morem tunc quoq; uſitatum, quem non redarguit mortuorum ſuſcitator, ſed infremuit Spiritu, & turbauit etiam ſemetipſum. Et ubi audiſſet uerba plorantis, Domine ueni, & uide. Tunc lachrymatus eſt, & ipſe ueri erga Lazarum, & ſorores amoris memorabile exemplum, nec non ueræ ſimpathiæ indicium præbens, & humani nihil à ſe alienum eſſe oſtendens. Siquidem ut uerus Deus, ita, & uerus homo, non propter ærumnas, ſed ut condolendo lachrymantium dolores mi-

nueret triſtatus eſt, ac quid in ſimili caſu nobis faciendum foret: ab exemplo oſtendit. Quis modus ſeruandus, quæ forma tenenda, ut ne quid nimis, ipſe docuit.

a. d. 23. q. 2. Quid igitur dicemus, de can: qui diuina, a qui ſumptus eſt, ex concio: Toletano tertio, ubi aperte conſtantiſsimeq; affirmatur, Quod Chriſtus Lazarum mortuum nō defleuerit: ſed quod ad ſuſcitandum huius uitæ ærumnas (ut paulo ante citatum eſt) deplorauerit. Qui textus noſtræ ſententiolæ forſan repugnare putabitur, penitius introſpectis uerbis, nulla reperitur contradictio, nimirum mortuos plane non eſſe lugendos, & prorſus lugendos eſſe, quæ ex diametro quaſi repugnare uidentur. Clareſcit in ipſa Canonis lectione, quod præcipiat, ut uerbi Dei precones, & miniſtri non immenſum lugeant, quia illorum ſit, cæteros in mœrore conſtitutos conſolari, per ſpem futuræ reſurrectionis in Chriſto, qui ſenſus ex ſequentibus patet, in hęc uerba: Si autem Epiſcopus omnibus Chriſtianis hoc prohibere poteſt, non moretur agere. Religioſis autem, omnino aliter fieri non debere cenſemus: Si uix (inquit can:) quibus ſubinfert, quod nos ſupra tetigimus, ſe quis continere poteſt omnino non prohibetur agere, quod naturæ neceſsitas extorquet. Nam dum moriuntur, parentes, patroni, & præceptores noſtri, ex quorū maxime præſidio pendemus, ipſemet mori uidemur, quia non immerito dicimus: Sublato conſultore, & auxiliatore noſtro, iam de ſalute actum eſt, omnesq; impios contra nos conſurgere experimur. Quo uiuo nemo fuit auſus ullo nos malo laceſcere uerbo. Quis hæc in diſcriminibus uarijs refugia, cum ob ardentem, quo unice complexus fuerat amorem, tum propter inſtantem malorum impetum non defleret? Ob id rectè can: di-

can: dicit. Si autem potest prohibere, &c. Sin autem possibile non erit, cauendum tamen religiosis, qui famulatum diuinorum canticorum impendunt, ne propter cuiusdam obitum supra modum tristentur. Quia cum tristes consolari, debemus nostras lachrymas temperabimus, aut certe nimium dolorem non urgebimus. Cum quidem fletus nostros aliorum commiscemus, certum est hoc ipso, dolentium animorum cruciatus non mitigari. Quare, hic clerici & Deo dicati, cautiores esse debent, qui tanq̃ medici adhibentur, qui solummodo, ut morbos ab ægroto, pfligent, ægrotum animent, ac uarijs medelis iuuent, ponderabunt. Ita quoq̃, qui ministerium Christi subiuere cæteris exemplum præbebunt, non ipsi sese morbidos, & tristes conquerentur. Nam quomodo aliquis ægrotantibus medebitur, qui languidus & querulus ipse decumbit? Sic sup̃. d. c. Qui diuina: Sentire uidetur Archid. morem fuisse Romanis, non plangere tantum, sed & crines euellere, faciem secare, pugnis pectus corpusq̃ contundere, uestimenta, quod etianum (quantum intelligo) in moribus habent, dilacerare: Quæ tristitia si non simulata fuerit, (sunt enim multi peruersæ naturæ homines, ut quotiescunq̃ uoluerint lachrymas exprimant, & ingentem dolorem gestibus tantum aperiant) non creditur esse damnabilis, licet deprecabilis, si modo desperatio desit. Moderatus uero fletus, relinquitur pius, & iustus. Itaq̃ Christũ Lazarum mortuum collachrymasse ex humana condolentia ausim dicere. Deinde ut ostenderetur in Lazaro diuina potentia mortuum quatriduanum resuscitasse, edocens se & super Mortem imperium habere. Operatur huiusmodi luctus super mortuis bona multa: Pietatem in primis

primis præ se fert, Charitatem proximi ostendit, deinde meditationem humanarum calamitatum, ac miseriarum ipsis lugentibus ingerit, feroces animos (nisi quouis saxo duriores) emollit, peruicaces & securos frangit, & à peccatis remordet, dum nunc in arca reconditum uidemus mox tumulandum, & uermibus corrodendum. Vnde illud: cum enim morietur homo, hęreditabit serpentes, & bestias, & uermes. Dum igitur sic deflemus mortuos, duros casus meditamur humanos, & eos, in quos lapsi sunt mortui, quos nos uel nunquam effugere possumus, sed forte in peiores præcipitari, quibus singulis horarum momentis terremur haud dubie, & á uijs malis, quibus impij capiuntur sæpenumerò reflectimus, nisi plane in iniquitatibus inueterati fuerimus, de misericordia Dei, (quod longe absit ab homine Christiano) desperantes. Hic fructus est luctus, ut quicquid in mundo est, lugubre cognoscamus, neque illos tantum qui præcesserunt, sed nos superstites, nostras miserias humanarumq; rerum calamitates pijs mentibus deploremus: Nostra quoq; peccata, coram Deo, cum gemitibus ex intimis cordis penetralibus profectis confiteamur, gementes cum gementibus, condolentes dolentibus, ex mera nostrorum pia, iustaq; commiseratione, ubiq; per sacram scripturam commendata, ut patet in uarijs scripturarum locis, præsertim, in Regio Propheta Dauid Psalmographo, Qui cum mortuus esset Naas, Rex filiorum Ammon, & Anon filius eius regnum pro eo administraret, Dixit Dauid: Faciam misericordiam cum Anon, filio Naas. Præstitit enim mihi pater eius gratiam: Misitq; Dauid nuncios ad consolandum eum, super mortem patris sui. Hoc est quod monemur in

Eccle-

Ecclesiastico, perficiatur, inquit, propiciatio, & benedictio tua, gratia data in conspectu omnis uiuentis, & mortuo non prohibeas gratiam. Non desis plorantibus in consolatione, & cum lugentibus ambula. Hoc Christus saluator, & mortuorum suscitator re ipsa ad impleuit, ut satis superq; dictum est, ab exemplo Lazari, & aliorum. Semper enim Christus dum in terris ageret, & homo cum hominibus (ut ait Propheta) conuersaretur, humani generis communem calamitatem, & miserias, in quas amicus eius Lazarus iam incidisset, uniuersæ carnis uiam ingressus, in se transtulit. Non potest resuscitationem quod affirmat, Cano: doluisse. Nam hoc pacto patris cœlestis gloriam, quam antea se gaudere dicebat, per resuscitationem manifestandam, plorasset: quod absurdè diceretur. Vnde pro certo, & indubitato relinquitur, quod ex mera, & humana commiseratione lachrymas expresserit. Quibus omnibus præmissis & ostensis luctũ super mortuis uetitum non esse concludo, imo à Deo Prophetis & Apostolis præceptũ relinquo. De Maria Magdalena scribitur b quod steterit ad monumentum Christi, qui resurrexerat, mortem acerbissimè deplorans atq; cum inclinaret se, & prospiceret in monumentum, uidet duos Angelos fulgentes uestibus candidis, qui dicunt: Mulier quid ploras? atq; dato responso, Ecce saluator ei iuxta est, in hortulani forma: cumq; non cessaret, amarissimasq; lachrymas non reprimeret, interrogauit dominus, dicens: Mulier quid ploras? Nec Angeli, uel quod magis est ipse Christus plorantem redarguit. Consolantur Angeli: Christus benigne tristem mulierculam alloquitur, uult causam fletus tollere, & cum gaudio commutare. Hic etiam luctus amari, fructus est

Cap. 7.

b. Iohan: 12.

ctus est iucundus, ut causa sublata tristitiæ effusa loco suboriatur lętitia, quam promisit Deus his qui lugent, & tristantur: Dum propter Iustitiam in ærumnas prolabuntur, aut alias affliguntur immeriti, dum per uoluntatem diuinam tentantur, uisitantur, aut male meriti peccata sua indesinenter deflent, donec consolationem acccipiant. Fletus & ploratus tristis cordis, spem in Dominum per fidem ponentis, non tantum Angelos, sed & Deum habet præsentes: Angeli consolantur, Christus lachrymis, & fletibus prouocatus, atque commotus, omnem tollit diffidentiam. Compellat (ut solitus erat) familiariter Mariam Dominus, dicens: Maria? Qua uoce audita, agnouit uocem saluatoris, atq; exclamat. At illa Christum tangere prohibetur. Sed uiso & audito Domino, uadit sine mora, gaudium magnum annuncians Christi discipulis quorum pijssimos fletus, cum ineffabili gaudio Christus compensat, in medio illorum constitutus, pacem eis offerens. Ex quibus necessario sequitur: nostris fletibus Dei omnipotentis misericordiam impetrari. Si non ad salutem defuncti (quod tamen contra Augustinum ter maximum Theologum, ego ut rerum inexpertus non ausim constanter dicere) profecto ipsis lugentibus Dei timorem ingerit, testante id scriptura, quæ ait: Melius est ire ad domum luctus, quam gaudij. Subijcitur inuicta ratio, quia in illa admonetur finis cunctorum hominum, & homo alioquin secure uiuens, & mortem non cogitans, quid futurum sit considerat. Eo spectat sancta cohortatio Ecclesiastica, Fili (inquit) in omnibus operibus memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis. Parua ne res hæc? parua ne sint (dicat quis) tristis commoda luctus? Hic suggerit ne se-

Eccle: 5.

quaris

quaris in fortitudine tua, concupiscentiam cordis tui: Et ne dixeris: Quomodo potui, aut quis me propter facta mea subijciet? Peccaui, quid mihi accidit triste? Mouet insuper, ut etiam de propiciato peccato ne sis sine metu, neq; de peccato in peccatum rapiaris, & ne sis tardus conuerti ad dominum, ne differas de die in diem. Et cum dixerint tibi pax, & securitas, noli credere. Siquidem piarum mentium est, ibi timere culpam, ubi culpa non subest. Cor autem durum & pœnitere nescium, nullo luctu mouetur, aut quouis ferro durius, cunctis fluctibus resistit, & male habebit in nouissimo, meritas q; suæ temeritatis pœnas daturum. In domo luctus igitur, omnia commiscentur fletibus, planctu, manuum implicationib⁹, querulosis uocibus, diuinam misericordiam (pro ut sacræ attestantur literæ) inuocantibus: amici undiq; tristem & inuidiosam mortem deflentes, confluunt. Quare ubiq; horrendæ Mortis imago in habitu, uestitu, & incessu uersatur. Vestis ubiq; nigra, atræ mortis significatio, qui mos apud plerosq; inueteratus est. E contra, quod aliquæ nationes barbaræ contrariam tueantur sententiam, à me approbari non potest. Hi enim Cyclopes, dum ad domum luctus ituri sunt, auro, gemmisq; redimiti ꝓgrediuntur, & quasi ad nuptias procedentes, festiuis exornari uestibus gestiunt. Non ubi Epitaphia, sed ubi canenda sint Epithalamia: Non ubi plorandum, sed ubi saltandum, & tripudiandum, ubi nulla nouissimorum recordatio, sed quasi gaudiorũ omnia loca plena. Vt enim ad hymenæos uestitu alacri, & solemni eundum: Sic ad domum luctus contendentis, uestis erit lugubris, & contristantis animi argumentum. Vt in luctu Musica importuna narratio, sic uestis nuptialis, in

lis, in domo luctus mala significatio, quasi defunctum oderit, & super eius calamitate lætetur. In summa Pauli sententiam atq; sæpe d. c. qui diuina, esse consona, satis puto liquere. Nam ab ijs, ad quæ sumus à natura procliues, si non possumus abstinere, (ut in hoc maximè casu) nulla lex ponitur, per quam excedentes puniamur: sed ex parte aliqua dolorem temperabimus, aut certe nimium non urgebimus, sed fide futuræ resurrectionis in Christum præmissa, sicuti Christiani spem habentes, in luctu procedemus. Nam ut ait text: Eccle: 22. Super mortuum plora: deficit enim lux eius. Modicum plora super mortuum tuum, quia requieuit. Luctus mortui septem dies. Vnde sequitur peccatum non esse uel dici. Quia quod tractatur hic, asscribitur operibus misericordiæ: & commoda quę ex tali luctu proueniunt, paulo ante recensuimus. Nostrum igitur Gryphsuualdium, fletu prosequamur amoris, quem nos Iuris Candidati, erga illum merito gessimus, gerimusq; perpetuo, dum spiritus cuiusq; suus, suos rexerit artus. Nunc uero primæ obiectioni, quod uidelicet in morte defuncti, non fuisset lugubri oratione declamandum, pro mea ingenij tenuitate, respondisse me satis existimo.

Secundam obiectionem si prorsus abolere uelim, (meam enim tenuitatem, ruditatemq; cogor agnoscere) opus esset summo singularis eruditionis, & subtilissimo ingenio: Ciceronem hic habitasse, à multis eruditis, & fide dignis uiris affirmatur. Omnium Philosophorum opinio ferè eo deducta, & quorundam Theologorum grauium, eo propendet animus, & fides, quod incuitabili & immutabili fato, subditum sit totum

totum genus humanum: Quod nemini casus ullus eueniat, quin illi antequam nasceretur, à Dijs immortalibus sit præuisus, quem nolit, uelit, subire cogatur. Sic quod Pater Omnipotẽs, prædestinauit, atq; præsciuit, præcaueri non posse: unde necessario sequitur, Licentiato nostro metam sibi præfixam contigisse, & uitæ suæ momentum, quo se animus ex corporis compage, uinculisq; relaxaret, effluxisse. Cumq; fatum sit commune, sine personarum acceptione nemini parcat, & per hoc Dei uoluntas expleta sit, utq; fiat patris cœlestis non nostra uoluntas, quotidie orare docuerit Christus, quid attinet flere? quorsum planctus? & incessus lugubris? quum nobis statuto tempore talem mortem Dij immortales præfixerint. Id ne impedire tentabimus? Nunquid contra stimulum (fatum uidelicet) calces iactabimus? Nunquid uoluntati diuinę refragabimur? Procul ab homine Christiano talis insania: Quinimo laudandus Deus, minimeq; ob parentum uel amici mortem supra modum lachrymandum. Nam gaudere magis conuenit quando fit Domini non nostra uoluntas. Quod Deus immutabiliter constituit, hoccine nos in irritum impedire conabimur? Quibus obtinentibus cassa sunt omnia, quæ primæ obiectioni sunt opposita: Quia inexorabili & insuperabili fato cedendum. Cumq; ergo omnes lachrymæ fundantur, quia est ineluctabile fatum, & perempti hominis irrecuperabilis uita, nunquid insaniæ proximum propter mortuum sese luctu, planctuq; defatigare, atq; conficere? Quod qui faciunt, spem futuræ resurrectionis non habere conuincuntur, & malè præceptum Euangelicæ tubæ excludunt. Quod ineuitabiliter homini euenit non est lugendum. Rumpi non po-

 test di-

est diuina uoluntas. Facessant ergo, nostræ aduersus Deum machinationes.

Quæ pro resolutione prioris obiecti sunt adducta, uerbo & exemplo Dei ita firmata, alijsq; scripturę locis munita sunt, (quibus etiam uniuersalis Ecclesiæ correspondet usus, & authoritas, quam in dubijs sequi longe tutissimum est) ut in controuersiam uocari non possint. Quare per ea quæ modo fataliter adducuntur, non possum à priori sententia discedere, Mortuos esse lugendos: attamen hæc ratio fati, mihi quoq; inconuincibilis uidetur, quæ nescio quomodo possit dilui. Magis igitur hic opstupesco, quam dubito. Cuius enim rei ueritas est euidens, ei quomodo contradici poterit? Aiunt quendam Mathematicum Gryphsualdio nostro propediem durum fatum imminere, quod euitare ac eludere non posset uaticinatum, cuius rei ueritatem probauit exitus. Quamuis autem rationibus copiosis huic casui possumus obuiare, tamen ueritas facti confutat contraloquentem, nec disputando, nec redarguendo possumus efficere quo minus eueniant, quæ dicunt, & facta infecta fiant: Et his stantibus iudiscussis, quid quæso hoc mortalium genere miserius? Sublatum necesse est, esse liberum arbitrium, & innumera subsequi absurda, quæ captum non meum (qui uel in leuissimis facile cœcutio) sed etiam uirorum summæ eruditorum, qui aut politiori literatura instructi, non præcoci sed maturo ingenio omnes dicendi delitias consequuti sunt, aut in Theologorum theatro omnem fere ætatem consumunt, hebetant. Quantum ergo ingenio assequi possum, tota Theologica facultas sublata est. Aut si eam permanere oportet uigorosam (quod negare piaculum foret) fatalem concidere opi-

nionem

nionem neceſſe eſt: Et ſic ceciderit, quicquid ei cohæ-
ret. Sed & id uidetur impoſsibile, quia uoluntatem
Dei, (quam quidam fatum dicunt, uel naturam fati ſe-
qui) irritari non poſſe conſtat. Citius quis cœlum ter-
ramq; mouerit, quam Dei propoſitum auerterit. Et
quod Philoſophis fatum eſt, id nobis uerbum Dei aſſe-
runt, in æternum manens. Duo iſta ſibi directè repug-
nant, quorum alterum qui ſtatuerit defendere, alterum
oportet ſubuertere. Vtrum quis ingentem molem ſu-
ſtinere contenderit, tandem nodis, & ſcrupulo non
diſſolutis laſſus (fortaſſis etiam quia in inextricabilem
labyrinthum cadere poſſet) obmuteſcere cogetur.
Conterere duo maximi uiri noſtro ſæculo, graui pug-
na increſcente, ſe non potuerunt, & pro ſua quisq;
opinione, tanquam pro ara & focis decertauit: Ho-
rum alter liberum aduerſus fatales caſus, alter ſeruum
pro fato arbitrium tuebatur. Videtur quoq; Paulus Roma: 9.
ſe hac quæſtione torſiſſe, (loquor autem ut Iuuenis au-
thoritate carens, condonari mihi hanc temeritatem pre-
cor) dum obiicit, & ſoluit, dumq; allegat ſcripturam:
Quia (inquit) maior ſeruiet minori, ſicut ſcriptum eſt,
hoc eſt, quod quidam aiũt ſicut fatatum eſt, .i. dictum,
â fari, uel fando. Eſau quidem non deliquerat, ut iure
primogenituræ priuaretur, & benedictionis commo-
do defraudaretur: Sed quia reſtitit diuinum fatum:
Quia maior ſeruiet minori. Cui hic non inſceretur
ſcrupulus? maxime ex talibus dictis. Eſau odio habui
Iacob uero dilexi. Quærit Paulus, dicens: Quid ergo
dicemus? Nunqd iniquitas apud Deum? Cum enim
nondum nati fuiſſent, uel aliquid boni aut mali egiſ-
ſent homines, Dicit Paulus, ut ſecundum propoſitum
Dei maneret: Ille odio habitus eſt, hic uero dilectus:

non ille

non ille propter delictum, nec hic propter meritum, quod poterit iniquum uideri. Nulla certe subditur diuersitatis ratio, nisi quod propositum Dei, hoc est, quod fatus erat Deus, firmum stabileq; maneret, & obtineret, ut nimirum maior minori seruiret. Deinde exemplum indurati Pharaonis subijcit. Ex quo sequi uidetur, quod Paulus subinfert: Ergo (inquiens) cuius uult miseretur? & quem uult indurat: uoluntati enim eius quis resistit? Humanus intellectus non poterit hic aliud assequi, quam quod Deus, quem sua uoluerit diuina clementia, etiamsi iniquissimus sit, amet: Quem noluerit, licet optimus piusq; existat, oderit, auerseturq;, quod Christiano dicere religio est. Sed Apostolus omnem scrupulum eximit, dicens: O homo tu quis es, qui respondeas Deo? Nunquid dixit figmentum, ei qui se finxit, quid me fecisti sic? Perse-
Ad Roma: 10. & 11. c. quens Apostolus grauissimam hanc quæstionem, sic ait: Dico ergo: Nunquid Deus repulit populum suum? hoc dici non potest. Sed quæ uidentur obstare,
d. c. 11. in fin. in facti ueritate consistunt, nec refelli possunt. Exclamat postea solutionem in pendenti relinquens: O altitudo diuitiarum, sapientiæ, & scientiæ Dei: Quam incomprehensibilia sunt iudica Dei, & inuestigabiles uiæ eius. Si Paulus hæc clare non pertexit, si caligant hic oculi prudentissimorum uirorum, quanto magis mea hic cæcutiret balbutiens infantia, abstinendumq; mihi omnium adhuc ignarissimo Iuueni? Quam stolidus est quilibet, qui non consulenti auscultat, qui ait:
Eccl: 3. c. Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris, sed quæ præcipit tibi Deus illa semper cogita, & in pluribus operibus suis ne fueris curiosus: quia non est necessarium, ea quæ ab oculis tuis abscondita sunt, uidere. In

dere. In superuacuis rebus noli scrutari multipliciter, & in pluribus operibus eius non eris curiosus: plurima enim super sensum hominis ostensa sunt tibi: & sic, dum quæ supra te sunt non scrutatus fueris, poteris cum Regio Propheta psallere: Domine non est exal- *Psal: 130.*
tatum cor meum, neq; elati sunt oculi mei, neq; ambulaui in magnis, neq; in mirabilibus super me. Sed licet hæc, & similia sacræ scripturæ loca copiosissimè legantur, à pluribus tamen cursorijs notis lecta non percipiuntur: Qui dum in continua, & nuda lectione, studium pietatis collocant, se continere non possunt, quando in tales & similes scrupulos incidunt, quin arcana queq; indagent, noua somnia, delíria, & stultæ rationis argutias sibijpsis effingant, cauillis scripturam eludant, quosdam denicp intellectus enucleent, quos incauto popello, falso Christiani nominis prætextu, (sectam desiderantes) obtrudant: Non memores illius Salomonis: Ne sis præceps in loquendo coram Deo. Contra aliqui assurgunt horum inuidentes gloriæ, qui longè diuersa somniant: pars utraq;, pro sua qualitate personæ sua tueri molitur. Emergunt interim Tertij, qui neutri parti consentiunt, ab his longè dissona seminantes. Efferunt se quarti (pari enim ratione omnes pro libidine dominandi, & authoritatis consequendæ gracia decertant) quorum est singularis opinio, quam nituntur proferre, & inter cunctos solam obtinere. Deinde quod est longè turpissimum, qui unius opinionis sunt, ne duo quidem super hac una re conueniunt, cum quanto sacrosanctæ religionis dispendio, nondum satis capere & intelligere possumus, sed scimus (ut uereor) postea, cum ruina, & maximo communis salutis detrimento. Sed unde hæc? nisi ut sese mu-

tuo æmulentur, alter alteri præcellere cértet, quilibet primus nemo uelit esse secundus: Sed & inde præsertim, quod quidam stolidi, nullam existiment diuitiarum, sapientiæ, & scientiæ omnipotentis Dei altitudinem, quam non acuminibus ingeniorum suorum assecuti sint, uel etiam transcenderint, & apprehenderint diuina Iudicia. Quare cum paulo fortissimo Christi duce non ducunt exclamandum: O altitudo diuitiarum &c. Ex hac re tot passim in Christiano orbe tumultus, seditiones, opinionum procellæ, dogmatum aspergines, cientur. Certe dum hi superbiæ (quæ omnium malorum genitrix est) spiritu reguntur, necesse est altiora sequi, & fortiora scrutari, quod dum faciunt in abissos prolabuntur immensas, quo secum multos prȩcipites raptant, quod ipsis Philosophis contigisse exploratum est, atq; ijs, qui se multitudinem stellarum numerare, & propriis nominibus perstringere putarunt, quiq; primi fatum excogitarunt, & ei super omnes Deos (taceo mortales homines) plenam potestatem tribuerunt: Quo quidem ipso, cum sit noster Gryphsuualdius sublatus, quorsum tot eiulatus, & gemitus?

Agnosco hic rursum imbecillitatem ætatis meæ, & ingenioli mei mediocritatem, & hebetudinem concedo. Quia uero mihi præmissa de defunctis amicis atq; propinquis deflendis salua uelim, attendi contra fatum quædam esse proferenda. Verum memini illius scripturæ: Altiora te ne quæsieris: &c. quare melius illa subterfugerem: Nihilominus tamen pro re pauca loquar, & quæ à doctioribus suggesta sunt, (quos meritò diffidentia depositа consului,) proponam, quod dum sedulò fecero, sicut uolentibus eruditionem consequi,

sequi, non aberrauero. Idcirco, remittor ad Gellium lib. 5. c. 2. ad inueniendam fati definitionem, ubi refertur à Chrysippo stoicæ Philosophiæ principe, definiri: Quod sit quædam sempiterna, & indeclinabilis series rerum, & catena, uoluens semetipsam in sese, & implicans, per æternos consequentiæ ordines, ex quibus apta connexaq; est: Vnde sequitur, quod quem, & ut primum tetigerit ordo, hunc nulla uia redimi posse, quantumcunq; renitatur, & repugnet. Fata trahentia non potest per impossibile effugere, nec anticipare, nec prorogare tempus, siue deliquerit siue benemeritus fuerit: Et quodcunq; genus mortis, fortunæ casus attulerit, id indeprecabiliter subeundum est: quod quidem (proh dolor) in præceptore nostro compertum, qui talem subire mortem, & à proprio famulo suffocari dignus non fuerat. Sed quia fuit in fatis, quæ uel præter Dei, & hominum uoluntatem, cuiusdam ordinis necessitate contingunt, euitari non possunt. Quid uis amplius? Et in super edidici, dum Philosophi in illam fati definitionem profundius immitterentur, quosdam nullum omnino fatum admisisse, tribuentes omnia fortunæ, & naturæ: quosdam fato tanta tribuisse, ut uim necessitatis adferret, quod fecerint Democritus, Heraclites, Empedocles, & Aristoteles. Quecunq; (teste Porphirio magno quem citat Eusebius) dij fata prædicant, stellarum motus ita futura significant. Nec tantum ea, sed etiam quæcunq; homines ullo unquam tempore statuerint, uoluerintq; non ex suo arbitrio, sed ista secundum fati dispositionem fieri. Ad quod idem Eusebius hos uersus adfert, qui sunt huiusmodi:

Tunc quoq; terrifico percussum hoc fulmine templum

Ardebat, sic stat, fatorum immobilis ordo:
Ferre autem longe præstat, quodcumq; seueræ
Et fixa, & stabili statuerunt lege Sorores.
Ecce etenim certum stabile, inuiolabile semper
Quicquid nent fusis Parcæ, Rex iussit Olimpi.

Et quod stellarum motus, ac coniunctiones, seu cursus huiusmodi futura prædicent, consensit etiam Ouidius ad Liuiam:

Iupiter ante dedit, fati mala signa cruenti.

Sic de uarijs signis scribunt historici, quæ præcesserunt horrendum cruentumq; Iulij Cesaris imminens fatum. Quod uti ab Astrologo, item Spurina Aruspice, fatatum fuerat, illi superuenit. Platonem hoc modo sentire dicunt: Quod cœli diuersæ partes, à diuersis, cum stellis, tum Dijs .i. Angelis regantur. Tum etiam cœlestium rerum studiosi, terræ plagas cœli Zonis, & urbes ascendentibus signis accommodare non dubitant. Hinc Astronomicõn libro bene cecinisse Manil:

Fata regunt orbem, certa stant omnia lege,
Longaq; per certos signantur tempora cursus,
Nascentes morimur finisq; ab origine pendet.

Item Ouid:

Astra regunt terras, & nos pendemus ab illis.

Hoc mirè iactant prognostici, dum aliqui supra modum sibi adblandiuntur: quasi uero professio eorum, non tantum summorum Philosophorum confirmatione constaret, quod sola fata uniuersam machinam, & totum genus humanam regant, sed etiam sacrarum literarum fulcimine niteretur, per illud quod est Iob 3. Semel loquitur Deus, & idipsum secundo non repetit. Item: quæcunq; procedunt de labijs meis non fa-

non faciem irrita. Quod Deus semel effatus, id esse factum asserunt, propius nonnihil ad Augustini sententiam accedentes: Qui id homini ineuitabile sentit, quod Deus iustus ordinauit, & quod ita à Deo decretum est, nos id sequi alligatos necessitati, non astrorum, sed diuini consilij. Quam necessitatem si quis (inquam) fatum appellauerit, rectius sentiet, quam loquatur. Quod si uerum est, in Deum cadent asscriptæ fato actiones, quod uelit hunc impium seruare, iustum istum perdere. Quod fatum à se semel uelit inexorabiliter perfici, & quod citius cœlum terræ misceretur, quam fatum suum à quoquam amoliri posset. Itaq; quod Lucifer de cœlo deiectus, quod Abel iustus à fratre occisus fuerit, quod uniuersum genus humanum diluuio perierit, id per uim, diuini oraculi factum est, idq; Noam ex consideratione stellarum authoritate Berosi, non ita ex Dei oraculo uiuo habuisse, dicere didici. Berosi textus affertur talis: Docuit item illos astrorum cursus, & distinxit annum ad cursum Solis & 12. Menses, ad motum Lunæ, qua scientia prædicabat illis, ab initio, quid in anno à cardinibus eius futurum contingeret. Idem Berosus ait: Vnus inter Gigantes erat, qui Deorum ueneratior, & prudentior cunctis, &c. huic nomen erat Noa, &c. Is timens quam ex astris futuram prospiciebat cladem, anno ante inundationem 78. &c. Si ex astris tanta clades, tot annis ante præuisa, fuitq; sic stabilis ordo fati, illaq; necessitas quam fatum dicunt: nulla subsistit ueritate, gen: 7. c. ubi dicit text: Videns autem Deus, quod multa malicia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, &c. Delebo, inquit, hominem, &c. Dixit ad Noam: Finis uniuersæ carnis uenit corã me.

Et ego disperdam eos: fecerat igitur Noa omnia quæcunq; pręceperat ei Deus. Ex ipsius ore Dei Noa pręsciuit diluuium futurum, quo extingueretur uniuersum genus humanum, cuius quoq; iussu arcam fabricabatur. Impium igitur esse, quod annuente Deo factum est, fato ascribere, quis ignorat?

Contrarium autem adferri potest, hoc modo: quia sic omnipotens Deus ore suo fatus erat, diuinum fatum .i. dictum æterni patris, ociosum esse non potuit, sed operari, quibus omnibus resistere, quiddam impossibile mihi quidem uidetur. Quare absit, ut tentem digito cœlum sustinere, rationesq; de fato, uel obiectas, uel obijciendas innumeras quidem refellere. Sufficit mihi simplex negatio, & facilis persuasio Patris. S. Augustini, aliorumq; Theologorum præstantissimorum, dicentium: fatum esse quoddam Ethnicum, Poëticumq; figmentum, qui purè fata, quod statuerunt, nullo posse in contrarium consilio præpediri, senserunt, quos si imitabimur, furiosius cœlo arma inferimus, quam Titanes, de quibus poëmata loquuntur. Sed ipsi Ciceroni satis fideliter in lib. de fato, nobiscum uisum est, quem merito miramur, quod sine Dei cognitione sic scriptum reliquit: Quis enim (inquit) non timeat, omnia præuidentem, & cogitantem, & animaduertentem, & omnia ad se pertinere putantem, curiosum, & plenum negocij Deum? Ex quibus tandem colligit atq; concludit, Chrysippi commentum fati inutile, ridiculumq;.

Quod si hæc quæ de fato sunt adducta, et quod sic necessitate compellente, cuncta nobis eueniant, nec à nobis aliter fieri uel potuit, uel debuit: quod etiam á multis Christianis, alioquin uiris doctissimis, (quibus ego non

ego non aduersor) si seruum tuentur, & liberum non concedunt arbitrium, constanter affirmatur: hoc tamen quod in hoc casu modo conspicitur, nihil phibet ædere, saluo cuiuscunque rectius sentientis iudicio. Proinde si fato quippiam concedimus, (dicam enim ut est mea ruditas) hunc Latronem, qui nobis præceptorem uirum, & pium, & optimum interemit, in minimo non peccasse necesse est, sed quod fatum Deus uoluerit subire coactus est, non malicia Latronis, sed dispositione fati. Sic Iudas osculo tradens saluatorem Iesum Christum, neq; Iudæi, eundem crucifigentes, peccarunt, sed adimplendo quod fatatum fuerat, fati ministri fuere. Ita quoq; tot millia Martyrum, Tirannorum tormentis uarijs, & multis calamitatibus oppressi, & excarnificati sunt, non ob fidem in Christo, sed quia fata ita præuiderant. Hic rerum immutabilis ordo, dispensationis, & omnis dilationis, relaxationis, commutationis, & mitigationis nescius, sanctos innoxiosq; uiros, ad huiusmodi supplicia traxit. Ergo falsa scriptura, quæ continuo clamitat: Mors peccatorum pessima, & qui oderunt iustum delinquent. *Psal: 33.* Item pretiosa mors in conspectu Dei, & sanctorum eius. *Psal: 115.* Item mors illius, mors nequissima, & utilis potius infernus, quam illa. *Ecclc: 28.* Ad quid interrogat Dauid Prophetam: Quid retribuam Domino pro his quæ tribuit mihi? Respondit sibijpsi, idq; in uanum: Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo: uota mea reddam coram omni populo. Sed ad quid? cum illa fatum alioquin diuersum non reflectent, aut propitium non reddent magis propitium: siue uotum moueas siue non, siue præstitum peragas siue rumpas, quod tibi fata minantur, siue dira siue bona fuerint, expectabis:

Non

Non est quod pauperes, in necessitate constituti clamitent, ad Dominum, quod fatalem inediam portare cogantur. Nam ut premantur onere paupertatis, non hoc eius culpa accidit, sed ineuitabili fato imputandum est, quo uolente diteſcunt nolentes: Si uult captiui, etiam nullis fusis iustis precibus, ultro sine aliquo medio liberantur. O Eremitas insanos, quod se in nemora, syluas, & solitarios montes contulerint, & altas inhabitare rupes maluerint, soli Deo seruire, animæ saluti consulere, corpus affligere, quam in turbulento populo uersari, dulcium rerum aucupio, uoluptatumq; lenociniis perfundi: Quorum sanctorum patrum numerus est ingens, qui delitias, uoluptates, libidinum exæstuationes, cunctos deniq; mundi ornatus spreuerunt, diuinæq; contemplationi postposuere: quod & ipsum fatale facile dixerint, fatum mordicus tuentes. Per consequens quoq; non fuit spontaneæ
Matth: 3. liberęq; uoluntatis, quod S. Iohannes, (quo inter natos mulierum non maior) eremiticam sibi delegerit uitam: Sed fato coactus urbes splendidas, & præclaras reliquerit, & migrarit, in deserta Iudeę, uestitus Camelorum pilis, & Zona circa lumbos pellicea, locustas (quod sacræ attestantur literæ) & mel siluestre manducans. Hic uir iustus, cui de immobilis fati benignitate cœli patebāt, cur se macerauit? cur mundi ornatus uoluptatesq; respuit? et in tantū semet afflixit, quasi maximorum peccatorum sibi fuisset conscius? Ad quid eius de pœnitentia generalis cohortatio? Nam Regnum quod prædicabat propinquum, tum præsens erat fatis datum. Quid enim aliud fati necessitate concessą, dicemus? hoc scilicet fato stante, ab initio, & antequam nascęremur, ad uitam æternam electi. Ergo sine dubio

uiuent:

uiuent: hoc eodem uolente reliqui moriuntur. Quod ut apertius dicam, cui fatum mortem, & mortis ultimum diem destinauit, scopum uel terminum prefixum euitare non potest: cuius rei Gryphsuualdius noster testis esse poterit. Et cui uitam felicemq; rerum successum fatum prospexit, nolit uelit, uitam & secundas fortunæ periodos, perferre cogetur, utq; simus felices, incolumes, salui, multisq; alijs uirtutibus exornati, & contra, cum sit in potestate inexorabilis fati, nec exorare, nec deprecari possumus. Vt Latronum alter perderetur, dexter uero seruaretur, non fecerit illius abstinentia, nec huius pura confessio, pœnitentia, aut compassio, sed quia ita, à fatis prędestinatum, & præuisum fuerat. Nihil deniq; (quod longius absit ab homine Christiano) Sacramenta profecerint. Nam per fata salus nobis prouisa est, quæ salus dici posset fatalis, non Christi sanguine, & morte parta: quo nobis Christianis pernicioſior hæresis esse non poterit. Quæ enim maior barbaries, & dementia, Ethnicorum inanibus nugis, & friuolis deliramentis, falso Christiani nominis prætextu, Dei authoritatem labefacere? Et qui semel salui facti sunt, hos in perditionem relabi non posse, firmissimum manet, stante necessitate fatali: quia in hoc sunt sectatores fatales, ut asserant, tueanturq; mordacissime εἱμαρμενην, illam dolorigeram, ferreamq;, nequaquam uel cœlorum, uel terrarum mutari posse, per quæ quicunq; saluus est, uel inuitus saluus manebit: hac enim ratione nullus bonorum operum fructus, nulla peccatorum punitio, uanam quoq; per hoc argumentum, remissionis iniquitatum nostrarum obseruationem, & religionem recte dixerimus. Nam regnum quod fato debetur auferri non potest, & inanis

est expectatio, ut nobis à Deo donetur: Quod enim nostrum est, id ipsa Iuris regula dictante, nostrum amplius fieri non potest. Et quod nostræ potestati subiectum est, quid opus est illud amplius petere? frustra enim peteremus, quod á fato concessum est. Quomodo ab eo, quod fato nobis addictum est, excludi, aut separari possumus? Quis horrendos, & lamentabiles gehennæ cruciatus, euitare poterit? in quos præcipitat hominem crudele fatum. Omnia cessant: ipsa enim gratiarum actio locum habere nequit: nec quicquam ualet assidua deprecatio iusti: denique nec timor Domini, per quem omnia cooperamur in bonum, nec uirtus aliqua, quicq; ualent: ut nihil accipientes nos gratiã ageremus, ea animi pietas uoluntaria nobis non est. Quotusquisq; quęso uel pro maximis acceptis beneficijs, Deo gratus (ut par est) existit? Ab initio enim sensus, & cogitatio hominis ad omne malum prona fuit, omnis liberalitatis, & quarumcunq; gratiarum obliuiosa. Nec sibi quicquam de gratia datum credunt, qui quod habent fatis ascribunt: Sic si scimus quicquam nobis deberi, nequaquam id precibus obtineri, uel promereri intendimus. Et quod ineuitabiliter instare, nec effugi posse scimus, hoc omnem uirtutis amorem tollit. Hinc est, quod uirtus ubiq; contemnatur, aut, nisi per paucissimos colatur. Cuiusmodi inconuenientia, diuinis scripturis, ac sanctę Theologicæ Philosophiæ contraria, postea sexcenta referri posse considerauí. Quorum quidem si fataliste unum esse falsum (ut quidem sunt omnia, & diuinæ Maiestatis potentiæ derogantia) concesserint, totam fatalem necessitatem, & fictum ordinem rumpi necesse est, imo omnia in aduersum confusa sunt argumenta. Quid autem (quæri posset)

posset) cum præter uoluntatem multa euenire uidea-
mus, sentiendum? Responsum Eusebij, proponentes,
accipiant: Si autem præter uoluntatem multa eueni-
unt, quibus nonnulli turbantur, distinguenda res est
elegantius, diligentiusq; considerandaomnia, qua ra-
tione fiant. Videbimus etenim non fatorum, sed alia
quadam, sublimiori prouidetiæ diuinæ ratione fieri.
Vniuersa igitur, diuina prouidentia existere, ac guber-
nari, uera pietatis predicant iura. Est post pauca: Ita
qui fatorum necessitatem esse credit, is Deum & pro-
uidentiam Dei aperte negat, ueluti & contra: Qui
Deo singula tribuit, uim & fatorum uniuersam neces-
sitatẽ tollit. Aut enim idem est Deus, quod fatum, aut
contra. Idem certe non est. Eadem Eusebius pluribus
quidem persequitur, & quod idem minime sit, pro-
bat satis. Deinde infert: Si ergo diuersum, quæren-
dum utrum melius Deo est? an non? Si nihil melius,
nihil potentius Deo potest excogitari: Vincet ergo
Deus, & superabit, & extenuabit omne fatum. Vt
rem uerbo complectar, nihil magis quam Deus metu-
endus, quo nihil maius, aut potentius: nihil magis ex-
petendum, quo nihil est melius: nihil magis desideran-
dum, qui plena perfectaq; est felicitas, qui solus quas
uelit immittere plagas cognoscit, solus futura prospi-
cit, neminem (ut inquit Propheta) suis consilijs adhi-
bet. Quemadmodum Deus altitonans, omnia quæ-
cunq; uoluit fecit, ita in æternum, & quæ in cœlo, &
quæ in terra mariq; sunt, quæcunq; uult, uel uno digi-
to regit, & potenter facturus est, iniquos, & peruica-
ces, pœnitere nescios puniendo, misericordiam humi-
libus, & rectis corde exhibendo, resipiscentibus, mu-
tando sententiam, gaudium, & misericordiam largien-

do, ſuperbos filios lucis in tenebras præcipitando, filios tenebrarum, qui pedibus ſuis aduoluuntur gratiã impetrantes, filios lucis conſtituendo: Quæ nobis forſan iniuſta uidentur, cum tamen apud Deum non poſſunt non eſſe iuſtiſsima. Veh homini impudentiſſimo, qui cur hæc faciat, interrogare audebit. Cum Regi Dauid à Semei filio Gera, inhoneſtiſsima inferretur iniuria, eiq; ab iſto Gerano intollerabiliter malediceretur, in hæc uerba: Egredere, egredere uir ſanguinum, uir Belial, &c. Ecce premunt te mala tua, quoniam uir ſanguinum es. Perfodit maledictor corda omnibus regijs, qui blaſphemantem audiebant. Tandem inquit Abiſai: Quare maledixit canis hic moriturus Domino meo Regi? Vadam & amputabo caput eius. Et ait Rex: Quid mihi, & uobis eſt filij Saruiæ, dimittite eum ut maledicat. Dominus enim præcepit ei ut maledíceret Dauid. Et quis eſt, qui audeat dicere, quare ſic fecerit? Et quis Chriſtianorum auſus erit, huiusmodi ſacrilegum ut interroget? Non eſt ſpinoſior, duriorq; calamitas uel iniuria, quam quæ fit homini recto, & innocenti, qui in afflictionibus, & amaritudinibus conſtitutus eſt, quod eſt afflictum affligere, & gemínare dolores. Deus ex ſua diuina beneuolentia, hæc quando uult prohibet, rurſus mutato coſilio, & rationabili cauſa, nobis abſcondita permittit, ſinit iuſtos ſeptíes in die cadere. Quis autem interrogabit cur faciat? Quantum humana mens colligere poteſt, Ideo fit, ne iuſti in confidentiam, & ſuperbiam tollantur, fiantq; cum ſint filij Lucis, filij tenebrarum. Permittit malis, in bonos pro libidine ſæuire, ſed ad tempus: ob id uero, ut iuſti tanto profundius precentur, & orent. Et non uult iuſtos cum iniuſtis perire, niſi quandoq;, non

2. Reg: 16.

non semper, ut nemo sibi securitatem polliceatur, ut metus malorum pariter omnes teneat, ut Deum conditorem uere timeant, diuinamq; maiestatem & præcepta diuino flamine nobis tradita admirentur. Ideo exerrantes corripiuntur, & in quibus peccant, & mandatum Dei transgrediuntur, admonentur, quos quasi Deus alloquitur, ut resipiscant, in eum uere, malicia relicta, credant: Sed non semper delinquentes, Tirannorum cupiditatibus, punit, ac contra malorum impetus iustos defendit, sed ut suæ diuinæ uoluntati placitum fuerit: ut uarijs morborum generibus, uel per famem, & inediam, per aquarum inundationes, per flammas, uel bestiarum innumerosam multitudinem, ut ait scriptura: Et misisti antecessores exercitus tui, uespas, ut illos paulatim exterminarent. Non quia impotens eras in bello subijcere impios iustis, aut bestijs sæuis, aut uerbo duro simul eliminare, sed partibus iudicans, dabas locum pœnitentię, non ignorans, quoniam nequã est natio ipsorum. Quis enim dicet tibi, quid fecisti? aut quis stabit contra iudicium tuum? aut quis in conspectu tuo ueniet uindex, iniquorum hominum? Aut quis tibi imputabit, si perierint nationes, quas tu fecisti? Sic affatur Sapientia Deum, atq; ita redimus ad Paul: dictum. O homo tu quis es, qui respondeas Deo? &c. O altitudo diuitiarum, &c. Hic omnibus Philosophis fatalistis silescendum, nisi nostri temporis, quidam glorioseli, in uocem contradictionis, ausi fuerint prorumpere, quos remitto ad Paulum, sacræ scripturæ organum, dicentem: O altitudo diuitiarum, &c. Quæ cum ueritati respondeant, atq; omnia diuina uoluntate fieri uideamus, Deo nolente, uel permittente, mutante, auertente, precibus, & orationibus, *Sap: 12.*

cinere, & facco, uel alijs modis ad misericordiam flexo, quam grandis, & inaudita esset insania, omnipotentiam diuinam, ferreo, & infracto alligare fato? Nostrum igitur Grypsualdium, non illud dirum fatum, non ille necessarius ordo, cui Ethnici se alligatos affirmabant, non excogitatæ, fictæq; à Poetis Parcæ, sed pestilentissimus ille fur, & Latro, propria conuictus temeritate, & insania, cui pessimo sacrilego uir optimus sese nimium, ah nimium, credulus confiderat, è medio sustulit. Quorum similes casus hominum Satoratq; Deorum, ex arcano suo consilio innumerabiles quidem pmittit, gratas nihilominus animas, in regnum suum reponens. Ob id uero, ut circumspectius ambulare discamus, uersari in mundo cautius, ne inopinatè simili diabolico furore, & instinctu opprimamur, ante omnia Timorem Dei habentes, si nolumus nobis aduersari maligna, & inopinata. Quamuis autē in oratione dominica doceamur, orare, fiat uoluntas tua, non ita intelligendum, si deliquerimus, & Deus nos perdere uoluerit, & affligere, ut tunc dicamus atq; rogemus: Domine fiat uoluntas tua, mitte grandinem, & nymbos, tempestatesq; furentes, fata læta calamitatem sentiant, & strangulentur, mitte bella, uel pestem: nequaquam, sed huiusmodi uoluntati, & diuinæ comminationi resistendum, pœnitentia, cinere, & facco, fletibus, planctu ieiunijs, & orationibus, ut restitit, Moises, Dauid, Achab, & alij pij uiri. Orandum est: Domine fiat uoluntas tua, sed in fine annectendum: Sed libera nos à malo. In hac obiectione diluenda, fui paulo prolixior, quam subiecta materia requirit, tamen utilitatis nonnihil inesse ratus sum, quæ compensata cum longitudine, facile spero deuorauerit nauseam,

seam, tædiumq; legendi. Et si illam fatalem insitamq; quibusdam opinionem, prorsus non euulsimus, maxima tamen ex parte, eam comminuisse speramus.

Tertium cum quarto obiectum eo paucioribus refellemus. Nescio quomodo dici posset: Imputet sibi, qui se seruo iniquo, & puerso commiserit. Est iuris nostri regula nota: Quod quis sua culpa damnum sentit sibi imputet. d Item, Non est ei subueniendum, qui se in necessitatem, salutis dispendium, ac uitæ internecionem, præcipitem dat. Quod profecto uerum esse fateri cogor: Sed tunc quando quis ex industria se peruersis associat, aut sceleratum alioquin hominem sibi asciscit. Latronem hunc á puero noster Præceptor educauerat, & cubicularium habuerat, fidelem ante expertus erat, nullam sceleratæ mentis notam considerauerat, nihil scelerati pectoris illo nunc grandiore suspicabatur. Sperabat semper acceptorum beneficiorum recordaturum hominem. Et quis hunc quem á puero nouerit, & ad uirtutis studiũ extimulauerit, deinde ad actionũ piarum incrementum assuefecerit, suspectum alicuius sceleris arbitretur? Quare male sentiunt, qui idipsum nostro Præceptori imputandum putãt. Vnus est, scrutans corda, & renes Deus: Vnus est cui cognitę sunt cogitationes hominum, morumq; mutatio, uel alteratio naturæ, nimirum omniscius Deus. Hinc est quod incauti sæpius, minusq; prudentes, fallamur, seducamur, illaqueemur, & in uitæ discrimina uaria abripiamur: tunc maxime, quando nihil tale metuentes, secure uiuimus, nihilq; mali suspicamur. Quam scelerate iustissimus Abel perierit, quis quæso ignorat? Sed an illi imputabitur, quod pessimo fratri se coniunxerit,

d. ff. de Reg. Iuris in 6.

Gen: 3.

iunxerit, ac cum eo gratum Deo officium obtulerit? Quæ hæc iniquitas? Imputabitur igitur Deo, cui sacrificium Abel gratum fuit, & qui alterius despexit? ex quo contemptu Cain odio, & ira excandescens, fratrem occidit. Quare Deus utriusq; munus placitum non habebat, aut utriusq; non despexit? hic obmutescamus omnes oportet. Si uero quis causam scire desiderauerit, non me sed Deum interroget cur ita fecerit: mihi his, inhærere amplius opus non est. Supra uero licitum ne sit ex Deo causam scisciari, ex allegato loco longē lateq; demonstrauimus. Quis uero hoc nostro præceptori Charissimo iuste imputare poterit, quod hucusq; per secula, multis, cum pijs, tum maximis & prudentissimis uiris, nihil tale metuentibus, contigisse legitur? Quem non sæpius sua fefellit opinio? quem non fides in alium licet, propter experimēta multa collata, interdū decepit? Et cui quis se citius commisisset, quam quem à puero educauerat, qui probitatem simulare pernouerat? Occulta sunt hæc nec scrire nobis expedit, et nihil hic melius, quam causas ignorare, ut semper incerti, sine timore, & metu uiuamus. Cum quoq; circumspecte ambulare temeritatemq; effugere compellimur: Tum docemur, non facile cuilibet manum porrigendam, nec nisi cum delectu amorem erga quoslibet habendum. Casus hic miserabilis nostri Præceptoris quem non cautiorem fecerit? Non debet autem periculum imputari periclitanti. Et nemo quasi hic prudentius egisse potuerit, sibi persuadeat. Quis enim causarum genera præ immensa multitudine poterit enumerare? Quis, quot, & quam uariæ sint rerum figuræ poterit excogitare? uel illas etiam, quas hucusq; genus humanum per experientiam didicit, taceo, quod

natura

natura quotidie nouas deproperet ædere formas, quas memoria complecti, uel animo quasi circumferre, quis non impossibilissimum diffitebitur? Cum semper (ut Imp: nostri uerbis utamur) inopinabile emergat, & ab ijs quæ iam posita sunt mederi non ualeat. Commonemur igit̃ oculos undiq; intentos habere, nec auræ credere semper nimium serenæ, mutari posse quæ cumq; sub cœlo uersantur, corruptibiles nos omnes esse, nec stabile quicquam: quod facile prudenti, nihil non diligenter consideranti, persuaderi poterit. Nunc etiam didicimus, quanta sit uirtus fides, & quanti preciũ seruus fidelis, cui quis præclaram pulcherrimamq; rerum supellectilem, omnem salutem, atq; adeo totam uitam, ausus sit concredere. Ille quanta sit remuneratione, & precio dignus, Hic uero, perfidus nimirum, & immanis Latro, in quo iam pridem omnis gratitudo cessat, quem omnis potius malorum lerna & uitiorum colluuies oppressit, quantam commeruerit supplicij magnitudinem, & corporis exulceratissimi trucem lanienam, quis amplius quam integritatis fama, iusticiæ gloria, uirtutis, & sanctitatis opinione præclarus, dijudicabit? Ita obiectum tertium liquere, imo me satis diluisse existimo.

Quartum qua possum laconica breuitate perstringam. Obijcere uidentur: ociose, secure, & male uixisse hominem pergræcari solitum, potationibus, alijsq; uitijs temporibus nocturnis indulgere consuetum: Et quia male uiuendi ratio consimilem sortiatur exitum, non mirum quod crudelia fata hunc ei uitæ finem imposuerint. Calumnia potius hæc est, quam obiectum: cuius petitur resolutio. Nunc experitur mortuus, q̃d in uita non caruerit æmulis, qui post ultima fata liuidis morsibus impetatur: & nescio cui maior iniuria inferri pos-

ri poſsit, quam cuius uirtus, pietas, ingenij altitudo, eruditionis animiq́ꝫ dotes, uitam facile comprobant, cuiusq́ꝫ honeſtiſſimi mores legem ſemper imitabantur. Propterea mirum, quo genio, aut fanatico ſpiritu, citius ad condemnandum, quam abſoluendum, ad criminandum, quam ad Mortuis parcendum homines procliuiores ſint. Chriſtianorum quidem intereſt, linguam habere continentem, non contumacem, maleq́ꝫ de ijs qui in Diuorum numerum cooptati ſunt, deblaterantem: ſed quia indoctum uulgus in contrarium ruat, honeſta ſugillare, famam arrodere, & alienæ gloriæ inuidere nitatur, cumq́ꝫ ſint cœca illorum Iudicia, inſulſas, falſasq́ꝫ ſententias effutire, popularem auram captare non uereantur, quædam in medium (ſi temporis anguſtia, & prolixę materiæ negocium, non impediret) proferenda duxi, quibus falſa eorum & iniqua obloquentium ora obſtruam.

Væ illis quos tam nephandus furor inceſſit, & quibus intus ſcelerata mens ſic exæſtuat, ut Dei ſupremi Iudicis Iudicium peruellere, anxia cenſura fatigare, mentisq́ꝫ humanæ deliria depromere, maternis inſuper uiſceribus incluſum, maledictis proſcindere, & indeſinenter improba uoce laceſcere, auſint, idq́ꝫ tanta feritate, ut uel ipſius defuncti cadaueroſa membra, belluino more, dilaniare, & deuorare uideantur, quum tamen ſpiritum aſtra colere, corpus humatum, ad diem uenturi Chriſti placido ſomno conſopiri, nemini dubium ſit. Si ipſa ſepulchra uiolare, ſub ſacrilegij pœna uetitum noſcitur, *a* quantum ſcelus habendum, intemeratam ledere famam, & quieſcentis animam uulnerare? Diuus Marc. Imp: Philoſophus in ſuis legibus conſcripſit, quod præter confiſcationem bonorum, in tertiam partem, & infamia feriantur, qui perſequuntur in-

a. L. Cum ſit iniuſtũ, & l. pergit audacia ad buſta. C. de ſepulch: uiol.

tur iniurijs hinc migrantes. Qui enim (sicuti ipsissima Imp: nostri uerba attestantur) hominis naturam uiolare non erubuit, dignus est & pecunijs, & gloria, & alijs omnibus condemnari. Naturam uidentur uiolare, qui mortuo maledicunt, quos non pudet, pœnitetq; probris, & dicterijs lacerare, qui ad naturam uniuersæ carnis sunt reuersi. Tales impudentes, sue mortalitatis, & humanarum rerum fragilitatis oblitos esse apparet, qui non præmeditantur quod quoq; Iudicem in cœlo habeant, qui unicuiq; pro eo quod hic gesserit sit redditurus mercedem, qui uel grauiora pericula duris eorum ceruicibus imponere potest, qui felices eorum uitæ periodos, in miserias uariasq; calamitates, in exitum multo duriorem, & incertiorem, prout sua diuina potentia cuncta recte trutinat et ponderat, commutare potest. Hi (inquam) qui dum propria temeritate innituntur, pro libidine quæ eos incessit, suas partes mordacissime tueantur, alienam deniq; honestam famam contaminare decertent, in foueam, quam ipsi faciunt, intemerati sese abripient. Vt non minus uere quam recte de ijs iactari possit: Incidit in foueam quam fecit. Si noster præceptor in manus domestici Latronis incidit, si per sceleratæ atq; corruptæ mentis famulum turpiter trucidatus est, ne dixeris: Istam fortunam sui mores promeruerunt, &c. Mihi tale quid accidere non potest. Absit procul talis insania, sit procul ab ore tuo nefandus atq; stupendus error, imo caue cogites. Quis scit an adijcient hodiernæ crastina uitæ, Tempora Dij superi. Quis scit quale unicuiq; fatum impendeat. Hæc cum accidunt, (est etenim incertius mortalium casus, & rerum immobilis ordo) non erimus inclinatiores misero imputare quam condolere, tristissimum casum commiserari, sed uices calamitates q; uarias, &

In Auth: ut defunct: seu fu. §. sancimus.

as, & mortalium quidem innumeras noſtris humeris quaſi ſuſtinere expedit. Ob id admiror, quorundam hominum ineptos mores, qui dum hic ſubitus interitus per urbem uolitaret, non cohorreſcebant exclamare: Iſtum caſum propria temeritate ſibi aſciuit, &c. Quod dictum ſi uerum eſſe, & hic locum habere conceſſerimus, hæc quæ adduxi in noſtro Præceptore locum non habere facile conuinci poſſum: Et recte in eum aſcriptæ fato actiones ceciderunt. Verum quia (ut paulo poſt declarabimus) neutiq; ueritati reſpondeat, & quidem ea uana ſint omnia, neſciunt profecto hi, qui hæc temere ſpargunt, quid ſerus ſit allaturus ueſper, & quid (ut uereor) olim in illorum caput ſit redundaturum. Non in publica ſympoſia, tabernas, & huiusmodi antra Cyrcæa, optimus Præceptor prorepſit, non in inhoneſtis unquã locis, non in publicis ſtratis, deprehenſus eſt, ſed in horto obambulans, Regij Prophetæ pſalmographi euoluens oracula, à ſceleratiſſimo domeſtico inimico, alumno, á famulo (inquam) fure, & proditore nefando, ſclopetto tranſuibratus, & miſerrimè ſine cauſa trucidatus eſt. Felicius haud dubie hinc eius charus ſpiritus migrauit, quia hanc partem communem habuerit cum Chriſto, quem non alienus, non peregrinus, aut quiſq; inimicorum Iudæorum, ſed proprius diſcipulus, rerum diſpenſator, amicitiam inani fuco prætexens, in horto, hoſtibus Iudeis oſculo tradidit, agnumq; immaculatum, triſtem, ſudantem, & ad cœleſtem Patrem preces ardentes fundentem, quaſi uile quoddam 30. denarijs uendidit. Anne hic calumniabimur? Anne cum Dei potentia, & contra mirabile eius conſilium diſputabimus? atq; dicemus: Quum unus ſit, ſcrutans corda, & renes Deus, ſciatq; omnium conſiliorum technas, & machinationes ma-

nes malorum hominum, qui perpetuo quietus rotat ac uersat omnia, semper intra semetipsum manens, æterna uertigine ambit uniuersa, illustrans omnia, nihil non penetrans, quare non repulit Iudam sui immaculati sanguinis Proditorem impium? aut quare se non subduxit? sed tacitè obiectioni respondent, dicuntq; hoc fuit in fatis, Oportuit Christum mori ipso dicente, Filius quidem hominis uadit sicut scriptum est, &c. Ex quo sequeretur, quod nec Iudas peccauerit, nec Iudæi, quippe qui scripturas adimpleuerint, fati ministri fuere. Sed procul absit, hęc maniaca, frenetica q; insania: ita enim sentire atq; concludere, maior hæresis esse non poterit. Tunc enim nullus Latro crimen designasse diceretur, qui fatum quod necatis impendit, absoluisset. Quod si uerum esset, q̃rela super lachrymabili Gryphs-uualdij nostri morte uacua prorsus existeret, ego q; frustra laborassem, sumptusq; fecissem uanos. At longe alia res est, quod patet in obiecti 2. resolutione.

Non tamen omnino falsum affirmo, Hominum mores, consimiles plerumq; sortiri exitus, eo enim ferè nihil certius uerius q; esse potest: Tamen id de Præceptore nostro uel dici, uel uere præsumi nunquam potest. Quare cum sciam quosdam Theoninis dentibus frenum injicere, seq; quin in defunctum præceptorem inuolent, continere non posse, quædam iterum hic quasi per transennas obiter attingenda, quibus falsam eorum opinionem refutarem, meq; uerbis, & calamo, dum interea nullius nomen perstringerem, ulciscerer, æquum dignũq; fore arbitratus sum. Quis ignorat impios Tyrannos, post diu satis exercitam in innocentes belluinam feritatem, libidinem, & insitam à natura truculentiam, ipso Deo desuper iaculente sagittas percussos, & pessum iuisse, & quanto tardiorem, eo pro-

fecto grauiorem, atrocioremq; ultionem á Deo profectam esse, ueluti ex libris nobis diuinitus traditis apparet. Nam ultor scelerum Deus, tarditatem supplicij, grauitate pœnæ compensat. Soli Iudæi nobis in specie sufficiant, qui non subito flagello percussi, iram Dei senserunt, sed heu, post multos annos, nihil tale metuentes, memorabili, & benemerita clade interiere, cum Vespasianus urbem Hierosolimitanam sæuissima obsidione cinxisset, & expugnasset, totum Regnum Iudaicum, gentemq; demum Deo dilectam ferro penitus excidisset. Ita semper qui flagitiose uiuunt, Deum negligunt, Doctrinam, à Prophetis, & Apostolis traditam respuunt, in utramq; aurem dormitant, uiam iniquitatis sequuntur, sortem cum impijs ponunt, sacra prophanis miscent, tumultuantur, inter pacificos discordias seminantes, & huius generis grauiora uitia perpetrantes, simili clade mulctantur, ut fecerint Core, Dathan, Abyron, &c. qui semetipsos super omnes immortales Deos (taceo homines) exaltare & collocare decertarunt, nouam superstitionem & singularem quandam authoritatem effingere non erubuerunt. Quod cum Patrem omnipotentem pertæsum, eos ad unum omnes terra dehiscens deglutiuit. Ita Deus altitonans, subita quadam tempestate & ualida fortunæ aspergine, res nostras inficere, & turbare potest, ut quamuis magnificæ, & præclaræ nobis appareant, in momento tamen temporis concidant. Quare minime falsum, quod pro institutione uitæ, non dissimilis sequat finis, quodq; impij sceleratiq; homines, ut sunt, Raptores, Pyratæ, nocturni depopulatores, Latrones, Sacrilegi & similes, (qualis fuit Rex Baltazarus) ultricem manum Dei, cuncta uindicantem mala, effugere nequeant. Neq; dubium, qui similia peruersis

ausibus

ausibus attentare, & si non stat per eos, re ipsa perfice-
re non subuerentur, quod illud ipsum eos maneat sup-
plicium, uel etiam grauius, ne quicquam aduersis ob-
stantibus interpretationibus. Sed hic non oscitanter
agendum, uel siniſtre iudicandum. Nam non omnes
quos corripit, & flagellat Dominus, habendi sunt ini-
qui: Non dicendum ilico, hic tanta non pateretur, ni-
si Deum grauiter offendisset. Ex consequenti, bona c. Ea uindi-
malicię argumenta coniecturari non possunt. Nam cta 23. q. 4.
sæpe Deus quos diligit castigat, ut totus exulceratus
est pacientissimus Iob, præter filiorum, atq; bonorum
iacturam. Hunc impium fuisse ex consequentibus pla-
gis, (quas indicat scriptura) colligere, & iudicare qsq;
potest. Et quid quæso eo absurdius, uel dici, uel ex-
cogitari potest? Huc etiam alludit exemplum Tobiæ,
& aliorum præstantissimorum piorumq; uirorum,
quos tamen ex omnibus his liberauit Dominus. Ast
si uitam beluinam flagitosissimamq; peragens tan-
dem prostratus, eiusq; pedibus qui ad interitum, &
perniciem tendebant, compedes iniecti fuerint, non
dubitandum, quin id ultrice manu Dei factum sit. Sed
si Deus impiorum, & malignantium plagas distulerit,
super rectis corde superbire, uel etiam prædominari
potentes permiserit, totq; sanctorũ Martyrum millia,
ueluti Ecclesia canit de S. Iohanne decollato, & cæ-
teris Prophetis, & Apostolis, qui morte sua fidem
Christianam fecerũt testatam dederit, cauendum ne ar-
cana Dei consilia scrutemur. Quomodo autem hi iusti
perierint, quasi non fuerint Deo dilecti, satis superq;
libri nobis diuinitus traditi perhibent. Vitandum ta-
men hic maxime, ut dextrè scripturam interpretemur,
nuda uerborum interpretatione contenti simus, sa-
cram scripturam (quod etiamnum ex peruersa natura

hominum fieri didicimus) non eludamus, alia & diuersa somniemus, diuina denicp iudicia non apprehendamus. Verum quantum hodie in utramcp partem, multorum nephandus atcp stupendus error inualuerit, & quotidie magis magiscp inualescat, nunc referendi locus non est. Mihi nihil horum tractandum, qui Gryphsualdium charissimum nostrum Præceptorem, quiescentem, & astra colentem, à calumniantium uirulentis linguis, uindicare, pioscp omnes contra rabidos maleuolorum morsus, qui studiorum alumnos, & maxime sanctæ iustitiæ, pacis, concordiæcp antistites, in quos sibi expetunt Tyrannidem licetiam, quoscp semper prę cęteris impensius oderunt, concitare præsumpsi. Sciendum quocp alia fore Iudicia Dei, qui falli nunquam potest, & neutiquam fallentis, alia mortalium, meris erroribus perfusorum, quibus non ita diuinorum consiliorum penetralia patent, prout ipsi sibi somniant, & alta supercilia ductant. Pharao sub potenti manu Dei maiore calamitate, atcp miseria perijt. Nabuchodonosor pœnitentiam egit, postea flagellatus cum pœnituisset, regnum quod perdiderat, recepit. Hic mihi, inquit Augustin: reddat rationem, qui diuinum consilium nimium alte corde sapienti diiudicat, Cur medicamentum unius medici manu confectum, alij ad interitum, alij ad salutem ualuerit? b Et reddat quis rationem mihi perfectam, Cur iustum sinat Deus, in sua iustitia perire, Impium uero diu, in sua malicia uiuere? Cur multis in locis, impios pijs prædominari uidemus, & sepultos etiam, qui dum adhuc uiuerent, in loco sancto erant, & laudabantur, in Ciuitate, quasi iustorum operum? Sunt iusti quibus multa ,pueniunt, quasi opera egerint impiorum: Et sicut impij qui securi sunt, quasi iustorum facta habeant. Credo sub-

b. c. Nabuchodonosor 23. q. 4.

do subesse consilia Dei, sed hominibus imperscrutabilia. Sapientis oculus in capite eius, & stultus in tenebris ambulat, & discimus quotidie, quod unus sit utriusq; interitus. Quis non dixerit in corde suo, si & sapientis, & stulti idem interitus, quid sapientiæ studuisse ꝓderit? Si doctus cum indocto eadem clade mulctantur, uti ex tam tristi spectaculo magna animi consternatione didicimus, quem non tæderet uitæ suæ? Pius, & doctus uir, Præceptor meus, ab impio, & nefario famulo, belluina quadam feritate, exulceratiq; pectoris truculentia, miserrime trucidatur, & sclopetto confoditur: Latro sceleratissimus tanq; iuuenculus indomitus, uiuit, imo uiuit, nullius q; metuens minas adhuc barbara quadam immanitate ferocit, & lætus nemine persequente (quo nihil in rebus humanis fere detestabilius esse potest) quasi re bene gesta triumphat. Hic in tam tristi spectaculo siniſtre atq; adeo imprudenter dijudicare, ad honestam hominis famam subringere, quem non cruciaret? Sed quia humana cœcitas uerum pro falso & contra tueri, & semper in uetitum ruere nitatur, egoq; falsa eorum & iniqua obloquentium ora, uenenatamq; linguam, pro mea ingenij tenuitate doctiori dicendi forma, aut uerborum maiori concitatione refutare nequeam, meliorem interpretationem doctis, qui se semper æquos censores præstiterunt, relinquo. His, quartum obiectum uolo diluisse, ad coronidem contendisse, meq; omnibus Clarissimis, Doctissimis, humanissimisq; cuiuscumq; facultatis Doctoribus, Licent. Magist. Dominis, patronis, & Præceptoribus meis colendis, nec non studiosis eruditissimis, honestissimisq;, humiliter, familiariter, & amice commendasse.

Et rogo Clarissimos D: Professores & humanarū

artium ſtudioſos adoleſcẽtes, in primis eos, qui ſe ad leges & Iuris cunabula dederũt, totosq́ dies legitimę ſcientiæ ſtudio animum imbuunt, ut, cum tanta uiri penuria, qui patrię ornamento, Rerum pub: commodo, natus erat, & iam cum arte grauitatem, prudentiam, multumq́ rerũ uſum coniunxiſſe, elegantiſſimum dicendi characterem, diuinamq́ eloquentiæ ſimilitudinẽ quandam, et ipſas ueneres adumbraſſe uidebaẽ, hoc alieniſſimo tẽpore orbati ſimus, ac in hominis amici, literarię q́ feſtiuitatis eximij aſſertoris animula iactura facta ſit, p ꝓbitatem, humanitatem, ſtudiorum communem rationem, morum ſimilitudinem, beneuolentiam (quam ad ſummum peruenisſe exiſtimo) item memoriam, quę defuncto debeẽ, ex animo mecum doleant, lachrymas exprimant, & doloris effigiem alicq́ ſaltem repræſentent, ſeq́ fortunæ iniquitate, & iniuria abiectos ſpecimine quodam luctus ſignificent. Deinde ſuauiſsimi Præceptoris famam, aduerſus iniquorum im ꝓbitatem (qui bonos omnes quanta poſſunt uirulentia, & acerbitate pungunt, alios ex ſua natura fingunt, & multo odio in noſtrum ordinem exerſerunt) uindicẽt, & odioſas contumelioſasq́ calumniantiũ uoces infringant, & debilitent. Hoc ſi á uobis impetrabimus (exprimere aũt poſſe idipſum in ſpem uenimus) cum mihi, qui quantum horum laborem non ignoratis, pergratũ feceritis, tum etiam uobis homines doctrinę gloria, eruditionisq́ forma excellentes, uirtute et morum ſplendore illuſtres, in perpetuum, beneuolentię uereq́ neceſsitudinis pignore, deuinxeritis: quodq́ ueſtra aut dignitas tulerit, aut doctrina ſtudijsq́ non ſit indignũ, ꝓbe feceritis. Poſtremo incredibilem habeo gratiam, q̃d me ieiunè de arduis rebus uerba facientẽ & diſceptãtem, placide beneuoleq́ exceperitis, & tam corporis geſtuũq́ applauſu,

quam

quam animi candore, et mẽtis ſinceritate, quadãq; optimę uolũtatis ſignificatione non obſcura, audiueritis.

Quod reliquum eſt: Oro æternum Patrem, Domini nr̃i Ieſu Chriſti, in quem felicitatis noſtræ ſpem contulimus unum, ut Cerberum illum immanem, in mortale genus deſæuientem, peſtilens uirus anhelantem, multa inuidia aduerſus nos flagrantem, et ad contumeliarum, machinationum, fraudis, necisq; eiaculationem acerbam diſtentum, conſtringere, ac in catenas conijcere, p̃ benevolentia, & circa nos nimia ſua clementia dignetur. Deinde illuſtriſs: Principum, & Ampliſs: Senatus animos ſpiritus ſancti luce imbuere, & inſpirare uelit, ut uiros conſũmatos, et ad unguem perpolitos, ſumma bonorum omnium, piorũ, doctorumq; hominum ſuffragatione, in hanc Academiam, ſtudiorum concurſu ferè deſtitutam, propediem aſciſcant, locumq; ſuppleant, qui ſcholæ, ſanctę Iuſtitię, doctrinæq; ornamenta, ſtudiorum adminicula, & fulcra eſſe poſsint. Ita fiet, ut cum Academia, doctorum hominum fama, artium linguarum, politioriſq; literaturæ cultura, uirtutisq; admiratione quadam diuina, omnium in ſe oculos conuerterit, priſtino nitori reſtituatur, optima laudum illarum pars, ad nos (qui eius Ciues ſumus) transfundatur, & non modo inſigni ad laudem uirtute hominum opinioni reſponſura, ſed omnium facilimè prædicationem ſit ſuperatura.



ROSTOCHII.

Ex Officina Typographica Ludouici Ditij,
Anno Domini Milleſimo Quingenteſimo Quinquageſimo nono, Menſe uero Aprili.

3.B

EPICEDION

CLARISS: VIRI IOACHIMI GRIPSWALDII, LVNEBVRGENSIS: V. I. LICENTIATI, ET LEGVM IN ACADEMIA ROSTOCHIANA PROFESSORIS.

A proprio famulo, fure & latrone, cum in horto prope ædes, libro intentus & legens, deambularet, insidiose & sceleratissime, præter omnem culpam, diabolico instinctu, bombarda traiecti, & omnium bonorum gemitu, & commiseratione extincti, Anno 1559. 22. die Ianuarij.

INGENVIS ET MODESTIS ADOlescentibus Alberto & Hyeronimo fratribus, è splendida Luneburgensium Semlebeckerorum familia natis. S. P. Ioan: Bocerus.

STirpis gloria Semlebeckerorum
Albertus, Hyeronimusq́, nostri
Iucundi, lepidi, pij sodales
Vidistis pariter scelus cruentum,
Et dirum famuli nefas maligni,
Et mecum lachrumis diu profusis,
Fleuistis scelus hoc, grauemq́ casum:
Tristi morte Licentiatus ille
Insignis, pius, eruditus, insons,
Et præter Ioachimus omne crimen,
Ceu cunctis cecidit bonis dolendus.
Hoc magnum scelus, insolensq́ factum,
Impuri famuli, necemq́ tristem,
Ploramus Elegis pie Camænis,
Et Gripsuualdi tuam locamus astris,
Ter fœlicem animam: locamus orco
Authorem sceleris, grauesq́ pœnas
Iusto iudicio Dei daturum,
Hunc damnant faciles dolentq́ Musæ.
Has uobis tuuenes pias querelas,
Et Musas dico condolentiores:
Conterraneus ille uester orat
Occisus Ioachimus, ut legatis
Has æquis animis, bonamq́ famam,
Defendatis & illius honorem.
Sic uestrum simili dolore nemo,
Contristare queat pios parentes.
Sed uiuat pylios uterq́ soles,
Stirpis gloria Semlebeckerorum.

Ergo iacce

ERgo iaces Ioachime iaces, tecumq; Bocerum
Ante diem cogis pene dolore mori.
Sic ne iaces, tali mihi coniunctissime morte,
Occidis, ó fati uis inimica tui.
Quis dabit hic lachrumas? tua quis crudelia dignis
Questibus, & merito carmine fata canet?
Me grauis heu nimium reprimit dolor, ægraq; men=
Vis fugit, et Musæ languida uena cadit. (tis
Et stupor horrendam prohibet me dicere mortem,
Horret & indignum Musa referre scelus.
Dicite pierides quid fato tristius isto,
Vos elego iussi concinuisse pede?
Vos ego num simili uolui lugere dolore,
Sæpe licet rebus sors sit iniqua meis.
Ergo mihi lachrumæ, mihi deplorantia desunt
Verba, nec ad gemitus uox uacat ulla meos.
Mæstus & infixum uix effero corde dolorem,
Vixq; potest uerbum territa lingua loqui.
Singultusq; graues & signa nouissima luctus,
Ingenium penitus surripuere meum.
Ipsaq; uis sceleris totis impressa medullis,
Ingeminat lachrumas nocte, dieq; meas.
Scilicet ante diem uiridi Ioachime sub æuo,
Naturæ nulla lege uocante cadis.

Nec tua tabificus consumpsit pectora morbus,
Nec tua legitimo funere uita fugit.
Nec uis in gelido tua mersit corpora ponto,
Non igni, ferro, grandine siue cadis.
Nec tua nocturnos incusat uita latrones,
Sue peregrina uulnera facta manu.
Et tua non aliquem grauis imprudentia casum,
Aut peperit uitæ tam fera fata tuæ.
Sed quem præteritis fouisti fidus ab annis,
Mandasti sortis munus & omne tuæ.
Te famulus proprio tuus interfecit in horto,
O sors, ô omni fata timenda loco.
Hic ubi tu sacros euoluis mane libellos,
Et teris aszueto gramina trita pede.
Impius à tergo, patula fretusq; fenestra,
Te famulus globulo deteriore ferit.
Ingemis, & sentis diram per uiscera mortem,
Pergis & ad sacras protenus ipse domos.
Vt tua confessus iuuenilia crimina, cœlo
Inferres animam, corpus inane solo.
Aufugit interea latro, rerumq; tuarum
Fur audax, uitæ pestis & atra tuæ.
Ergo quid ô superi tutum, sic omnia casu
Subdita, præcipiti stantq; caduntq; gradu.

Nil

Nil æqui, rectiq; super, laudabilis olim
O uirtus, quali uulnere fracta iaces.
An nihil est usquam fidei, nulliq; licebit
Amplius in propria tutior esse domo.
Alma fides latebras, quales & mæsta recessus,
Hæc hominum uitans crimina fœda, petis?
Scilicet appares nusquam, casuraq; mundi
Machina, supremo crimine fœta, gemit.
Ergo uerendarum soluatur gloria legum,
Et liceat quicquid fasq; piumq; uetat.
Vtq; ea prætream toto quæcunq; sub orbe,
Crimina contemta relligione uigent.
Hac quoq; pluto nocens uires exercet in urbe,
Implicat & uarijs impia corda malis.
Et nunc perfidia famuli, globuloq; peremptus,
Occidis indignis ô Ioachime modis.
Occidis, & tristi tua defleo funera uersu,
Contigit haud alia quod tibi sorte mori.
AEquior heu tanti concessa licentia fati,
Si caderes iusta morte uocante, foret.
Tunc ego non duras ploranti carmine Parcas,
Arguerem tanti criminis esse reas.
Nunc ó nunc uiridis non debita fata iuuentæ,
Et casum ploro dulcis amice tuum.

Scilicet heu nimium tristi, miseraq; ruina,
Occidis, ad seros uiuere digne dies.
Nec mihi, quantumuis alias tibi semper adhæsi,
Fida sodalitij pars & amica tui,
Extrema licuit te conuenisse sub hora,
Et dixisse, Deo non renuente, uale.
Attamen ut nostras casus peruenit ad aures,
Te iam uelle anima diffugiente mori.
Sicut eram pransus, festino propero cursu,
Et tua concussus tecta dolore peto.
Huc ubi perueni, tua iam liberrima cœlo
Reddita, mens liquit corporis exuuias.
Omnis nec penitus calor abfuit, oraq; pallor,
Cæpit & albentes mors uiolare genas.
Quas ego tunc lachrimas, tibi quæ funebria solui
Iusta, mihi misero quanta querela fuit.
Sic ne iaces, Ioachime iaces, iterumne uidendus
Hac nobis specie dulcis amice iaces.
Exacta mecum qui dulcia tempora luce,
Tractastiq; leui seria mixta ioco.
Dum tibi coniugij testantia carmina laudes,
Et cecini quo sit uita regenda modo.
Tunc hilaris, expersq; mali, mihi qualia mandas
Dixisti, sacro carmine, iussa sequar.

Et fa-

Et facturus eras, & iam tibi debita coniunx,
Pene fuit thalamo rite locanda tuo.
Cum scelus, & longo sors ó plorabilis æuo,
Perfidia famuli concidis ipse tui.
Traiectusq; fero globuli miserabilis ictu,
Inscius, ætherei scandis ad astra poli.
Scilicet ó uanis hominum spes fixa columnis,
Quam cito firma diu quæ putat esse, cadunt.
Vita rotæ similis, ualidis quæ mota quadrigis
Veloci celeres uertit in orbe uices.
Ceu micat & cœlo faciem Sol exerit alto,
Quæ modo uel tenui condita nube latet:
Sic uiget, & seros quæ crescere tentat in annos,
Desinit, exigua uita fugitq; mora.
Quid querar? à primo nobis grauis imminet ortu
Vlla uenit subitæ tuta nec hora necis.
Dum loquimur, morimur, uicinaq; tempora morti,
Fallax uita sibi quam procul esse putat?
Sic neq; sperata præstans Gripsuualdius hora
Occidit, heu patriæ maxima cura domus.
Sed post difficiles curas, durosq; labores,
Quos ponis studijs sorte uolente, bonis.
Iustiniane tuæ post multa negotia gentis,
Iuraq; peruigili post tua lecta libro.

Hoc

Hoc dum cæpisti iustas & ab ordine laudes,
Et poteras lapsæ commodus esse Scholæ.
Dum tibi præcipuum Iurisq; Licentia nomen,
Inter honoratos fecerat esse uiros.
I licet eripers miserando funere, quali
Tollendus Cyclops, uel Nero dire fores.
Non tamen impietas, famulo te prodidit aurum,
Quod rapiat, dira te quoq; morte rapit.
Et tua te uirtus poterat seruasse, sed ingens
Te famuli saluum non tulit esse scelus.
Et nunc ó Ioachime iaces, & nil nisi de te,
Quam clarum toto nomen in orbe manet.
Robur & ó mediæ uis nunc ubi uerna iuuentæ,
Quam cito flos uitæ decidit ipse tuæ.
Quod neq; sperabas, diro tua funera casu,
Defleri triplices constituêre Deæ.
I nunc & cunctis sua confer præmia factis,
Nempe bonos etiam pessima fata manent.
Sæpe sub iniusta calcatur mole laborum
Optimus, & fruitur sorte fauente malus.
Fallitur & casu, uel iniqua morte necatos,
A Eterno curæ qui negat esse Deo.
Scilicet est certum quod iudicat omnia numen,
Factaq; secreta singula mente probat.

At tibi

At tibi tu quales, adsciscas, elige seruos,
Quos domui, rebus præficiasq; tuis.
Aut quibus instabilis concredere munera uitæ,
Siue uiæ comites quos cupis esse tuæ.
Sis precor hic Argus: nostri fallacia secli
Crescit, & hoc multus semine floret ager.
Vt tibi prospicias, non hic te tuta relinquat,
Cura, sed excubias sedulus hospes age.
Sed me fata tuæ nimium crudelia mortis,
Et merito tua me sors Ioachime mouet.
Vt quia præteream grauibus mihi cognita rebus
Seria, uel summa facta probata fide.
Nunc ubi sunt mollesq; ioci, risusq; frequentes,
Et datæ tot sanctæ tempora amicitiæ.
Heu dolor, heu tecum quod non culpanda uoluptas
Improbat, et mea quod uita requirit, abest.
Ergo iaces patri, miserisq; sororibus ingens
Mæror, & ó fratri cura dolorq; tuo.
At fœlix genitrix, dudum quæ morte quiescit,
Has nati tristes nec gemit exequias.
Obruta quæ casu tecum si uiueret isto,
Flebilior campos iret ad Elysios.
Et tristes fœdata genas, laniata capillos,
Diceret ó fili sic Ioachime iaces.

At tibi quid latro precer immaniſſime, cœlum,
Et tellus, ignis, ſit grauis unda tibi.
Te rota, te Serpens, Tytij uel uulturis unguis,
Te laniet flagris torua Megera ſuis.
Te lapis, & media ſitis unda, cuncta malorum,
Te facies nullo commiſerante, premat.
Iam quoq; iam meritas afflicto pectore diras,
Deuotumq; tuum fleſq; gemiſq; caput.
Et nusquam requies, & te tua pœna fatigat,
Turpiter & uitam mox poſiturus eris.
Impia ter uolucris, deuoti corporis artus,
Damnoſi comedent qui tua membra canes.
Abſtineant utinam: diris affixaq; palis,
Corpora, mens ſtygio ſemper in amne gemat.
Sic te deuoueo, iuſtas mea carmina uires
Et Deus, & pietas robur habere ſinent.
Hoc etiam ſtygium præſtans Erphurdia monſtrū,
Hoc hominis poteras & genuiſſe ſcelus.
Hic ſua dum prima uidit cunabula luce,
Ille ter infeſta morte necandus erat.
Sic Ioachime tuis fruereris molliter annis,
Et mihi ploranti nulla querela foret.
Tu tamen æthereos lætus modo carpis honores,
Sorteq; dij quanta damna priora leuas.

Nam

Nam tua te uirtus, pietas & amabilis ardor,
Iusticiæ, summis apposuere Deis.
Vlla nec in niuea leuis obtrectatio mente,
Possedit pulsa dexteritate locum,
Quæ nimis heu nostro uires exercet in æuo.
Illud, nescio quæ præmia, crimen habet.
At tu Pierias recte formatus ad artes
Eius gestabas libera corda luis.
Et quoniam uates, dum uita manebat, amasti
Longæui fructus nominis inde feres.
Et tibi quæ cecinit funebria iusta Boceri,
A Eternos tribuet candida Musa dies.
Viue uale terris exempte, sed æthere presens,
Cœlicolas inter uiue ualeq; Deos.

Amico suo optimo
& desideratissimo
Bocerus faciebat.

FINIS.

C 2 QVERE.

QVERELA IN FVNERE Honesti & Studiosi adolescentis GVILIELMI WILICHII Liuoniensis, Ex uulnere sibi iniuste inflicto extincti.

CVm Deus é nihilo terras, animalia, cœlum
Fecit & immensus quicquid hic orbis habet:
Restat ad hoc dixit, similis mihi restat imago,
Quæ mihi præcipui causa laboris erat:
Restat opus mundo longè precioſius omni,
Hoc quoq; magna Dei dextera condet opus:
Dixit & esiluit tactæ ae pondere terræ,
Effigiesq; Dei candida, factus homo est.
Quisquis es effigiem qui talem perdis, & istud
Quod Domini fecit dextera, rumpis opus.
Te dolor extremo manet insatiabilis æuo,
Te Styx, & phlegeton, te manet ira Dei.
Hoc opus ut fecit diuina mente creator,
Addidit hæc certa uerba colenda fide.
Fecimus en hominem, nobis qui perplacet, illum
Enſe recidendus, qui uiolabit, erit.
Ergo magistratus uirgis instructus, & enſe,
Anne colet ſummi iuſſa ſeuera Dei?

Auferet

Auferet hoc impune scelus, qui turpiter audet,
Hoc hominis dira tollere morte decus?
Deditus ó Musis, & amans uirtutis, inultus
Ante diem iuuenis sic Guilielme cades?
Dextra magistratus neq; lex hic publica uires,
Publicus & nullum pondus habebit bonos.
Nos ó ter miseri phœbeia castra secuti,
Contempti turpi conditione sumus.
Phœbe grauem luge sortem, tua gloria languet,
Te premitur uarijs turba professa malis.
Quid querar? ærumnis & iniqua morte necatur
O scelus, ó toto cognitus orbe pudor,
Quem tamen accusem? non uos uirtutis amantes,
Quæq; faues doctis ciuica turba uiris.
Vos ego qui sacras crudeli pectore Musas
Spernitis, ignauos, monstraq; dira uoco.
Vos reor AEtnæo natos Cyclopis in antro,
Turba feros inter uiuere digna lupos.
Parcimus innocuis, scelus hoc immane sed ausos,
Et læsere tuum qui Guilielme caput.
Hos ego Cyclopes, & diros dico latrones,
Hos ego mulctandos legibus esse puto.
Sic quia pultatis Phœbi truculenter alumnum,
Et doctum Stygio mergitis amne caput.

Quam melius fuerat fugienti parcere, fuſo
Sanguine nec diras commaculare manus.
Nunc tres, aut plures cerdones, morte cruenta
Vnum mulctatis, gloria magna, caput.
Scilicet hic dignum peperiſtis laude triumphum,
Hic ego uos fortes, & reor eſſe uiros.
Vos ſcelus hoc Chriſti comitabitur ante tribunal,
Actor ubi cæſus tum Guilielmus erit.
Quis ferat hoc? ubi nunc leges, ubi iura, quis uſus
Iuſticiæ? penitus faſq; piumq; fugit?
Tuq; magiſtratus dormis, nec talia ſentis
Crimina, ſupremo diſplicuiſſe Deo?
Puni qui Phœbi caros uiolauit alumnos,
Occubat ante tuos ultio dira pedes.
O miſer innocuos illos qui ſpernere cætus,
Et potuit doctos ſollicitare uiros.
Daulia Threitius uaſtabat rura Pyreneus,
Atq; nouem preſſit fraude, doloq;, Deas.
Ergo cadit moriens, diſcuſſaq; turpiter oſſa.
Et ſua uix aliqua membra reponit humo.
Atq; nurus Cyconum pœnas ſoluere perennes,
Orpheus dum Bacchi concidit inter opus.
Ne ſimiles tandem ſoluas gens impia pœnas,
Deſine phœbeium ſollicitare chorum.

Ipſa

Ipsa sed ô sacris studijs addicta iuuentus,
Præcipiti quæris quid tua fata mora?
Sicut apis circum maneas apiaria, Musis
Dedita, sic tua te uitaq; sorsq; monet.
Consuetis & tuta locis, lususq; iocosq;,
Exerce, media regnat in urbe scelus.
Si te nulla mouet ratio, quæ cœlitus orta,
Te uitæ suadet consuluisse tuæ.
Hæc saltem miris animalia condita formis
Inspice, quod doceat te quoq;, uiuit apis.
Hæc non à stabulis, ubi diros nouerit hostes,
Auffugit, in solito firma, potensq; loco.
Nec campos, uirides extra spaciatur & hortos,
Quà non sunt structis pabula grata fauis.
At tu quid mediam temeré descendis in urbem,
Tecta sodalitij linquis & apta tui.
Nescio quid uenaris ibi: locus ille charybdim,
Et Scyllæ scopulos, monstraq; dira fouet.
Fallor an? hic quædã doctus nocet aura Camænis,
Nescio sæpe nocens quo sit & illa modo.
Ergo peregrinis uenisti quisquis aboris,
Incolis & nostræ docta Lycæa Scholæ.
Sis cautus, maneasq; domi, cum liquit ouile,
Incidit in turpes agna misella lupos.

Vix tua

Vix tua te probitas, aut hic seruabit honestas,
Absit nequitiæ soluere frena tuæ.
Et licet exieris, ut nolis lædere quemquam,
Qui te mox aliquo uulnere lædat, erit.
Vsq; male tutis adeo uersamur in agris,
Quæ sumus Aonias turba secuta Deas.
Quæ, si fors alibi, nimis hic obiecta malorum
Indignis odijs, uulnera nulle tulit.
Et tu rapte iaces uiridi Guilielme sub æuo,
O matri, misero cura dolorq; patri.
At tibi fœlicis gratamur gaudia uitæ,
Quæ tibi certa tuo munere Christe uenit.
Iam licet effugiant, manet & sua pœna latrones,
Ah animo quantam fers homicida luem.

Iohannes Bocerus.

FINIS.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn178605406X/phys_0106


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn178605406X/phys_0107



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn178605406X/phys_0108

Vix tua te probitas, aut hic ſeruabit honeſtas,
Abſit nequitiæ ſoluere frena tuæ.
licet exieris, ut nolis lædere quemquam,
Qui te mox aliquo uulnere lædat, erit.
uale tutis adeo uerſamur in agris,
uæ ſumus Aonias turba ſecuta Deas.
s alibi, nimis hic obiecta malorum
is odijs, uulnera nulle tulit.
es uiridi Guilielme ſub æuo,
ſero cura dolorq; patri.
tamur gaudia uitæ,
tuo munere Chriſte uenit.
Iam licet et & ſua pœna latrones,
fers homicida luem.

Johannes Bocerus.

FI

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn178605406X/phys_0109